



18 $\frac{3}{10}$ 43

8/10

m
e
k
h
i
x

098

1090

*Hu Leo, ille e, y cen prim
civis urbis Romae, Carol*

LEONIS III PAPÆ
EPISTOLÆ AD
CAROLVM MAGNVM
IMPERATOREM.

*Commod. vide
de Impes. R
Conring*

*Pontifex lo
sans fruit*

Aug. C. 7.

l. cv.

CAPITVLARE CAROLI M.
de Villis suis.

HERMANNVS CONRINGIVS
nunc primum edidit & notis illustravit.

*Sas primo evulgavit Alab. Flacc. Ill. n. q
apost. de ex antiquis melioribus edidit*

Helm. Cour

de quib. patet leone

III. sibi dand. q. ca.

qui avogasse al.

quod jus s. h. in

Caroli.

in o. autel. p. s. q. in

ne oppidula p. p. in

jura Pontif. posse

deunt.

f. 26. in str.

P. e. d. q. d. e.



HELMESTADII
Apud HENNINGVM MULLERVM

CIO IO C XLVII.

100

LEONIS DE TATA
EPIS TOLAD
CAROLVM MAGNYM
IMPERATOREM
CAPITVLARE CAROLI M.

Wyższa Szkoła Pedagogiczna
w Bydgoszczy
Biblioteka Główna

5872



HERMANNUS CONRINGIVS
S. P. D.

VIRO GENEROSO
FRIDERICO Schenck
à Winterstedt
Serenissimi Ducis Brunsvico-Lüneburgensis
CHR. LVDOVICI Produci & summo Consiliario,
Satrapæ in Borchtorff ac hæreditario in Schwach-
hausen &c.
HERMAN. CONRINGIVS
S. P. D.

Nunquam benè adeo comparatum qui-
dem fuit, ut in Ecclesiæ clero deessent,
qui vel dignitate sua vel oblati-
orum bonis abusi nonnihil interdū insole-
rent, tria tamen Ecclesiæ prima secula sanctè
fluxisse meritò dixeris. Intra modicum enim
stabant tum oblationes, nec unius Episcopi
erat omnium administratio; sed in partem
curæ apud singulas ecclesias presbyteri venie-
bant; nec populo nullus locus erat in feren-
dis legibus, in electione cleri, in judicijs ec-
clesiasticis: eoque multum sanè tum aberat
ut Episcopi ecclesiis suis *μοναρχικῶς* domina-
rentur. Accedebat numquam penè non im-
minens Christianorum capitibus commune
periculum, à potentissimis persecutoribus &
):(2 quidem

quidem Cæsaribus ipsis; quo non poterat non
coërceri quicquid vitiorum latius alioquin
adolevisset, præsertim quod Episcopi ipsi præ
alijs, ut cætuum capita, ad suppliciū traheren-
tur. *Postquam Ecclesia ad Christianos princi-
pes venit* (verba sunt S. Hieronymi in vitâ
Malchi) *potentiâ quidem & divitiis maior sed
virtutibus minor facta est.* Nimirum non tan-
tùm securitas ex eo tempore concessa, sed &
immunitatib⁹ multis evectus est clerus magis
magisq; , in sacrū usum præcipuè collata sunt
amplissima & longè pinguißima patrimonia.
Quam insolentem liberalitatem nescio num
uni pietati fas sit acceptam referre: supersti-
tionis non nihil fuisse admistum, alios vi-
tæ suæ quantumvis vitis immersæ per do-
naria isthæc cælestem veniam expectasse,
manifestius videtur quam ut egeat res proba-
tione. Exceperunt autē passim hanc potentiâ
& has divitias ea quæ solēt subsequi res secun-
das, in clero omni videlicet (penes hos enim
bonorum semper administratio fuit) luxus
ambitio & divini muneris sui negligentia.
Quàm maxime tamen Episcopos vitijs hisce
conta-

contaminatos dixeris, & quidem eo magis
quo præ reliquis majore fuerunt dignitate
atq; exultatione. Ne enim alia nunc tangã;
id operam videntur multi dedisse, ut tran-
sata in solos sese omnium Ecclesiæ opum po-
testate, haberent unde & ipsi lautissime vi-
verent & cognati ac familiares ditarentur.
Quo nihil ab Apostolorum exemplo alienius
est, ut qui in id diaconos instituerint, quo o-
mni isthac cura soluti liberius ipsi munere
docendi defungerentur. Vereor tamen ne
Episcopos suos suspectos jam tum hoc nomi-
ne habuerint illi qui notantur concilij Gan-
grensis canone vii: quod oblationes suas non
per Episcopos fecerint distribui. Certum est
haut multo pòst, malos mores orientalis dice-
ceseos Episcoporum quorundam, gravissimū
illum canonem Antiocheni concilij ulti-
mum expressisse, quem in occidentalis Eccle-
siæ usum ita vertit Dionysius Exiguus: *Episco-
pus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem,
ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum
summa reverentia, & timore dei. Participet
autem & ipse quibus indiget: si tamen indiget:*
): (3 tam

tam suis, quam fratrum, qui ab eo suscipiuntur,
necessarius usibus profuturus, ita ut in nullo qua-
libet occasione fraudentur. Fuxta sanctum apo-
stolum sic dicentem: habentes victum, & tegu-
mentum, his contenti sumus. Quod si conten-
tus istis minime fuerit, convertat autem res ec-
clesiæ in suos usus domesticos, & eius commoda
vel agrorum fructus non cum presbyterorum
consentia, diaconorumq; pertractet, sed horum
potestatem domesticis suis aut propinquis aut
fratribus filiisq; committat, ut per huiusmodi
personas occulte cetera ledantur ecclesiæ; synodo
provincia pœnas iste persolvat. Si autem & ali-
ter accusetur episcopus, aut presbyteri, qui cum
ipso sunt: quod ea quæ pertinent ad ecclesiæ,
vel ex agris vel ex alia qualibet ecclesiastica fa-
cultate sibi met usurpent, ita ut ex hoc affligan-
tur quidem pauperes, criminationi vero, &
blasphemiis tam sermo prædicationis, quam hi
qui dispensant taliter exponantur; & hos oportet
corrigi, sancta synodo id quod condecet appro-
bante. Quamvis verò Patres illi hoc ita sanxif-
sent, Episcopos tamen aliquos non tantum
clam presbyteris suis & diaconis, sed & absq;
omni

omni œconomò, contra quam vulgò sole-
re vel ex canone laudato Gangrensis synodi
planum est, bona Ecclesiæ administrasse in-
dicat canon Chalcedonenſis œcumenici
concilij XXVI: Quoniam in quibusdam ec-
clesiis, ut rumore comperimus, citra œconomos
episcopi facultates ecclesiasticas tractant: pla-
cuit omnem ecclesiæ habentem episcopum ha-
bere œconomum de clero proprio, qui dispenset
res ecclesiasticas secundum sententiam episcopi
proprii ita, ut ecclesiæ dispensatio præter testimo-
nium non sit, & ex hoc dispergantur ecclesiastica
facultates, & sacerdotio maledictionis derogatio
procuretur. Quod si hoc minime fecerit, divinis
constitutionibus subiaceat. Nec tamen vel hoc
fuerunt contenti illi, qui propter turpia lucra
conductores alienarum possessionum sunt facti
& secularia negocia sub cura sua susceperunt,
dei quidem ministerium parvipendentes, secula-
rium vero discurrentes domos, & propter avari-
tiam patrimoniorum sollicitudines sumentes:
eòque permoverunt eosdem Chalcedonen-
ses Patres ut canone III omnem secularis ne-
gotij curam Episcopis & clero severè interdi-
xerint.

xerint. Eadem sanè de causâ conditus est cir-
ca hæc tempora & canon, Apostolorum qui
dicitur, vii: *Episcopus aut presbyter aut diaco-
nus nequaquam seculares curas adsumat; sin a-
liter, deliciatur.* Nec alteri fini repetitum de-
inceps illud canone xxci: *Diximus quod non
oporteat Episcopum aut presbyterum publicis se
administrationibus immiscere, sed vacare &
commodum se exhibere usibus Ecclesiasticis. Ani-
mum igitur inducito hoc non facere aut deponi-
tor. Nemo enim potest duobus dominis seruire
iuxta dominicū præceptum.* Adeò varios, adeò
severos canones merebantur jã illa ætate Epi-
scopi, nec tamen effluerat seculum Christia-
num sextum. Haud dubie tanto in nume-
ro nusquam terrarum defuere, qui officij me-
mores avaritiam & fastum sanctissimo Eccle-
siæ studio posthabuerunt; ejusmodi enim o-
mnino cum alios tum illos piissimarum le-
gum conditores fuisse ecquis negaverit? Ve-
reor tamen ut major pars vel tum fuerit extra
hanc culpam. Non fuit sane, si credimus ijs
quæ Salvianus quatuor libris de Ecclesia con-
questus est. Non fuisse, indicio ipse fuit popu-
lus.

lus. *Præter paucissimos quosdam (dixit idem
Salvianus l. 3. de gubern.) qui mala fugiunt, quid
est aliud omnis cætus Christianorum quàm sen-
tina vitiorum?* Adeò verum scilicet est illud
Severi Sulpitij: *auro non strui Ecclesiam sed de-
strui.* Neque verò aliunde morum illam in E-
piscopis à primâ pietate mutationem licet ar-
cessere. Intimius sanè omnia perspicientibus
apparet haud difficulter, nusquam licentius
grassata esse vitia quàm vbi auri vis prævaluit.
Valuit autem quam maximè procul dubio in
opulentissimis urbium: quales tum fuere
Roma vetus pariter ac nova, Alexandria por-
ro & Antiochia. Enimvero Romæ luxum illū
prius quàm in provincijs capisse vel ex Am-
mano Marcellino est intelligere. Vbi enim
ille de Damasi & Vrsicini funestis certamini-
bus pudenda nonnulla differuisset hæc sub-
jungit: *Neq; ego abnuo, ostentationem rerum
considerans urbanarum, huius rei cupidos ob
impetrandum quod appetunt omni contentione
laterum iurgari debere: cum id adepti futuri
sint ita securi, ut ditentur oblationibus matro-
narum, procedantque vehiculis confidentes,*

):():

cir-

circumspectè vestiti, epulas curantes profusas
adeo ut eorum convivium regales superent men-
sas. Qui esse poterant beati reverà, si magnitu-
dine Urbis despecta, quam vitis opponunt, ad
imitationem Antistitum quorundam provin-
cialium viverent: quos tenuitas edendi potan-
diq; parcissime, vilitas etiam indumentorum, &
supercilia humi spectantia, perpetuo numini ve-
risq; eius cultoribus ut pueros commendant &
verecundos. Non minorem vero tum luxum
obtinuisse Constantinopoli, satis indicat
Gregorius Nazianzenus, illa oratione qua di-
missionem petit illius urbis tum Archiepisco-
pus. Exprobratum enim sibi conqueritur
quod nec mensa lautà & opiparà nec veste ma-
gnificà sit usus, nec splendide in publicum prodi-
erit, nec ad eos à quibus conveniebatur gravita-
tem & fastum adhibuerit. Mitto de aliis similia
adferre. Nec enim vel dominandi libidi-
nem specioso crescentem prætextu nunc tan-
gam, quâ tamen Cælestinus Papa meruit o-
lim ab Africanis Patribus audire: nolite conce-
dere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam
Christi, qua lucem simplicitatis & humilitatis
diem,

diem, deum videre cupientibus præfert, videamur inducere: qua item Antiochenus Pa-
triarcha effecit, ut Oecumenicum Ephesinum
concilium monuerit cavendum: ut ne san-
ctorum patrum canones prætereantur, neq; sub
specie administrationis rerum sacrarum poten-
tia secularis typhus irrepat, sensimq; impruden-
tes libertatem eam amittamus, quam nobis pro-
prio sanguine dominus noster Iesus Christus, o-
mnium hominum liberator, nobis largitus est.
Hæc inquam & alia nunc haud attingam, ceu
ab instituto aliena. Cæterum quo tem-
pore Gregorius & Ammianus isthæc scribe-
bant, currebat adhuc seculum quartum. Post-
hæc verò etiam in provincias serpsisse tanti
exempli vitia, luxum avaro & avaritiam, non est
quod miremur. Nec verò dissimulavit deus
populi sui grandia isthæc peccata: eoq; tan-
quam in vindictam ex Germaniæ & Scythiæ
remotissimis quibusque angulis evocata nu-
merosa variarum gentium multitudine, qua-
si diluvio florentissimas occidentalis Imperii
Romani terras fecit inundari, & tantum non
in solitudinem redigi. Alibi iusto itidem ju-
dicio

dicio divino non tantum per Mahumetem
nova & seculi, illius moribus sic satis attem-
perata religio inventa, sed eadem inusitata
armorum felicitate brevi ita propagata est,
ut plurimis locis Ecclesiarum vix aliquod vesti-
gium tandem manserit reliquum. In Occi-
dente sane hoc ipso Ecclesiarum reditus ita
sunt attenuati, ut Episcopis plerisque non
tantum instrumenta luxuriae perierint, ve-
rum longo tempore multum etiam defuerit
ad necessarios maxime usus. Cum Romano
Papa mitius videtur actum. Quantum enim
ex Gregorii Magni epistolis colligere est, satis
amplum illi superfuit semper patrimonium
per Italiam, Siciliam, Africam, Galliam, Sar-
diniam, alibi: ut ut hi proventus fuerint for-
tassis infra censum veterum oblationum.
Qualis etiam illorum qui Gregorium sunt
secuti vita memoratur, nihil illi omiserunt
quod ad augendas divitias & potentiam am-
pliandam potuit data occasione proficere.
Nihil sane a vitiis illis Deo usque adeo invisis
mutaverunt. Octavo seculo etiam id quod
numquam antea tentaverant, quove nihil est
ab

ab Ecclesiastica functione alienius, moliri cae-
perunt. Id scilicet operam dedere quo jure
omni Caesarum soluti bonae etiam Italiae
parti regiam potestate dominarentur. Quod
profecto ipsis ex voto sic satis evenit, ubi po-
pulari odio objectis primum Caesaribus suis
mox Langobardorum regibus, ex adverso Pi-
pini & Caroli validum profecto robur in cu-
piditatis suae ministerium flexissent. Vnum
id praeter expectationem accidit, quod Ro-
mani cives alijque illud recens & novi generis
Papale imperium acrius ferentes, non fue-
runt veriti Papae ipsi manus inferre. Hoc sane
malo adactus fuit Papa Leo id nominis tertius,
expetentibus idem Romanis, ut Caesarem iterum
auctoritati sede Pontificiam subjiceret, in Ca-
esarem electo Carolo Magno Francorum tum
& Langobardorum rege longe potentissimo.
Imo eadem de causa liberati iterum Pontifi-
ces Francorum imperio, Ottoni Magno &
Germaniae nostrae regibus denuo jus Caesa-
reum ultrò detulerunt: donec per Hildebran-
dum omni reipubl. majestate conculcata Ca-
sari ipsi & regibus omnibus sacrum quendam

C. 7. de ma
Rom. anti

dominatū intentaverunt. Quo nihil mon-
strosius fingi vel excogitari potest. Tædet ista
multis referre. Vel meminisse horret animus,
& refugit jam luctu. Et tamen cum illo mon-
stro hodieq; omnis Europa conflictatur. In-
præsentiarū sane unice me delectat memoria
illius cultus & obsequii quo Carolus Mag-
num jam creatum Imperatorem coactus fuit
Papa prosequi. Fuit ea res hæctenus bonam
partem in obscuro: quod ex illo ævo ad nos
rarissima quæ huc facerent monumenta sint
transmissa: eòque non nisi argumentis hinc
inde conquisitis libro quem de Germanorum
Imperio conscripsi probari & exponi abs me
potuit. Plenius omnia loquuntur ipsiusmet
Leonis ad Carolum literæ nonnullæ, quas in-
ter membranas Bibliothecæ nostræ Julæ ante
biennium præter propter reperi. Enimverò
hoc nomine dignas illas iudicavi quæ mea
cura publicarentur. Quin idem mecum sis
iudicaturus, generose Schenki, equidem nul-
lus dubito. Neque enim me latet quanto
odio prosequaris horribile illud Pontifici-
um regnum, quamque benè cupias reipubl.
nostræ

nostræ Germanicæ, quæ Pontificum primò
artibus à culmine suo præceps data est. De-
bes animum illum nobilissimo generi tuo &
genti Suevicæ: quâ nulla alia improbis Pon-
tificum conatibus fortius sese olim opposuit,
aut pro reipubl. pugnavit dignitate, Henrici
iv & v, Friderici item primi & secundi Cæ-
sarum ac Sueviæ ducū auspicijs præeuntibus.
Et verò Suevicæ vestræ nobilitatis primores de
republica & Ecclesia optimis fuisse sententijs
imbutos vel carmina illa eorum Germanica
significant quorum gustum nobis dedit
Melchior Goldastus. Qui si omnia ex the-
sauro suo prompsisset, haberemus inter ea &
gentilis tui Vlrici Schenck à VVinterstetten
poëmata, quæ ille semel iterum loco testimo-
nij adduxit in suis ad VVinsbekias paræ-
neses animadversionibus. Enimverò erectus
ille animi tui sensus, vir generose, me invitat
maximè, ut quas edidi Leonis epistolas, &
Caroli Cæsaris Capitulare, simulque mea ad-
jectanea ad te præcipuè nunc adferam.
Quamvis enim isthæc me facere alia etiam
multa

multa suadeant, (æquum enim est ut in pu-
blico exstet affectus erga te mei testimoniū)
tamen iis hodie non perinde moveor, & offi-
cii mei rationem rectius aliās habebō. Quod
si sententias meas quas hic, alibi, aspersi,
cum tuis convenire, certe non multum ab
iis dissentire, intellexero, magnum satis pre-
tium me operæ consecutum esse nunc qui-
dem arbitrabor. Helmeſtadio ex Academiā
Juliā, xvii Kal. Septembr. c. d. i. c. xlviij.

INCL.

INCIPIVNT EPISTOLÆ
DE PAPA LEONE AD IMPE-
RATOREM CAROLVM
MISSÆ.

EPISTOLA I.
DE ACCVSATORIBVS.

Domino Piiſſimo & Sereniſſimo, Victori ac Tri-
umphatori, Filio, amatori Dei ac Domini noſtri
Ieſu Chriſti, Karolo Auguſto Leo, Epicoſus, ſeruus ſer-
uorum Dei. Remeantes ad nos fideliffimi miſſi noſtri,
quos ad veſtram Imperialem potentiam direximus, reru-
lerunt nobis de veſtra benigniffimā bonitate, quam erga
beatum Petrum Apoſtolum & ejus vicarium geritis ex in-
timo cordis amore. Inter ea obtulerunt nobis honorabi-
les veſtras epiſtolas & Capitularem.

Quod verò Capitularem, poſt relectionem duarum
epiſtolarum referantes, inter cætera gaudia, quæ præfatæ
epiſtolæ cordi noſtro effuderunt, ſic primum capitulum
ejuſdem Capitularis cor noſtrum relevavit: ut cum Pro-
pheta dicere cœpimus: *Domine ſalvum fac regem, & exaudi
nos in die qua invocaverimus te.* Cumque per ordinem ad
ſextum conjungeremus capitulum, quantum gaudium &
lætitiā prædictæ epiſtolæ atque cætera capitula nobis in-
geſſerunt, tantum mœrore & triſtitia poſtmodum ſumus
repleti. Continebatur enim in ipſo præfato ſexto capitu-
lo, quod Miſſos invenire non valeatis qui nobis placent:
de quâ re valdè triſtatur veſtra Serenitas; & nullus de ipſis
qui jam ad nos fuit directus per ſuam voluntatem amplius
Miſſus erit, excepto quod obedientiam veſtram volunta-

A

riè u.

ciē unusquisque adimplere cupit : & non solū Missi vestri timent vestram portare legationem ad nostram pusillitatem, verū etiam alij jam non sunt ausi quærere à vobis auxilium, quia nullus est qui vestram quæsivit clementiam, ut dicunt, qui postmodū ad plenam potuisset pervenire gratiam nostram ; & quia plures directos habuistis Missos fideles ex quibus jam alij mortui sunt, & ipsi blasphematī fuere, & de ipsis qui vivunt nullus jam sine blasphemia esse videtur. Vnde nobis, fili dulcissime, quid aliud agendum est, nisi preces pro his, qui talia vobis mentiri sunt, ad Dominum fundamus ? Sicut scriptum est : *Orate pro inimicis vestris*. Credat enim nobis vestra Serenitas, quia ea quæ ad animæ vestræ salutem cognoverimus, nullo modo tacemus ; & si antetacuius, nunc autem non cessamus, sive de bonis sive de malis, vestræ intimare potentia. Nam qui per mendacium & malas machinationes vult filium separare à matre, iudicium habebit cum ipso clavigero regni cœlorum beato Petro Apostolo. Quia mihi in hoc mundo nihil pretiosius est quam animæ vestræ salus. Sed quia omnia quæ de vestrâ prosperitate atque exaltatione in corde nostro gerimus per singula exarare non valemus, sic nobis omnipotens Deus retribuatur, sicut de vestro honore & sospitate cupimus. Verumtamen cum multo amore multaque fide erga vos constringimur, tacere nullo modo possumus, ut vos ipsi pro animâ vestrâ vigiletis, scientes quia ista misera & caduca vita in modicum exterminatur & finem habet, & omnes rationem reddituri sunt Domino de vaniloquijs. Igitur hominibus non citius credatis ante satisfactionem. Sed tamen si nos benè suscepimus & benè honoravimus pro vestro amore, Deus nobis retribuatur bona, & vos satisfaciatur ut in causis beati Petri Apostoli amplius & amplius decertatis :
& si

& si non vobis nunciaverint quomodo eos honorificè suscepimus, quid aliud dicamus nisi ut Deus illis indulgeat ? Verumtamen si propè fuissetis, adjuvante Dei omnipotentis misericordiâ, vos habuissetis veritatem & mendacium discernere ; quia talem vobis à Deo datam esse sapientiam credimus, ut tale improprium atque confusionem non habuissetis in faciem nostram. Recordari credimus vestram Serenitatem, quia vicibus nobis misistis, quod neminem de nobis male loqui permetteretis, neque locum illi tribueretis. Sed quid igitur restat, nisi ut inter tantas accusationes, quæ de nobis & fidelibus nostris, qui aliquod profectum Sanctæ nostræ Ecclesiæ faciebant, vobis dictæ sunt, cum lacrimis gratias agam Deo omnipotenti. Nam de illo amore quem erga vos gerimus nullus in hac vita nos separare potest nisi sola mors, quandoque nobis obvenit. Sed quid tantū fastidium facimus auribus vestris ? Certissimè in quantum nobis Deus largiri dignatus est, sic in nostro sensu cogitamus, quod nullus de antecessoribus nostris partibus istis cum tanto amore servierit quantum nos servivimus. Sed nostrum servitium, ut videmus, nemini acceptum fuit. De autem accusatoribus Missorum vestrorum, de quibus nobis emisistis, ut aut in nostram aut in vestram præsentiam ad discutiendum veniant ; si placet pietati vestræ, Missum vestrum dirigite absque illis, qui omnia liquidius inquirat & vestræ Imperiali potentia fideliter nunciet, quid aut quomodo istis in partibus egerint, qualem profectum exinde Sancta Dei Ecclesia mater vestra habeat. Verumtamen omnia in vestro committamus sagacissimo arbitrio. His præmissis. Omnipotens & misericors Deus, per intercessionem sanctæ suæ genitricis semper virginis Mariæ dominæ nostræ, & beatorum Principum Apostolorum Petri ac Pauli, talis cordi vestro salubre
A 2 bre

bre consiliū inspiret, ut oblatio quam dulcissimus genitor
vester Dominus Pippinus rex beato Petro Apostolo ob-
tulit & vos confirmastis, ipse claviger regni caelestis ante
conspectum DEI cum ipsa donatione vobis presentetur,
quatenus gaudia aeterna percipere mereatis. *Piissimum
Domini Imperium gratia superna custodiat, eiq; omnium
gentium colla substernat.*

EPISTOLA II.

QUALITER SICILIENSES CVM SAR-
RACENIS PACTVM FECERVNT ET
CAPTIVI REDDITI.

Domino Piissimo, & Serenissimo Victori ac Trium-
phatori, Filio, amatori Dei & Domini nostri Iesu
Christi, Karolo Augusto, Leo Episcopus Servus Servo-
rum Dei. Tertio igitur Idus Novembr. suscepimus
epistolam Gregorij Patricij Siciliensis: responsum scilicet
Serenitatis vestrae epistolae, quam illi per hominem no-
strum emisimus. Vobis siquidem, pro qua causa igno-
ramus, epistolam nomini vestro titulatam non emisit.
Illam tamen quam nobis direxit epistolam, de qua vobis
exemplar aut postquam eam legeremus a nostro sigillo ve-
strae Imperiali potentiae dirigere petivit. Nos pro vestra
satisfactione neque eam ad legendum aperuimus, neque
quod in ea continetur cognovimus, nisi quod per illum
Missum nostrum nobis in verbis direxit. Id est de illis
Sarracenorum Missis, cum quibus pactum confirmavit i-
pse Patricius in annos decem. Dicebat enim ad praedictos
Missos Sarracenorum: quale nobiscum pactum facere
vultis, cum ecce jam anni sunt octuaginta quinque quod
pactum nobiscum fecistis & firmum non fuit? Imo & Con-
stantii

stantinus Patricius qui ante me praefuit, in decem annos
vobiscum pactum firmavit, usque ad futuram octavam in-
dictionem; sed neque ipsum pactum firmum tenuistis.
Nunc autem quale vobiscum pactum faciamus, nobis in-
cognitum est. Ad haec respondebant ipsi Sarracenorum
Missi, dicentes. Pater istius Amiraluminum qui nunc a-
pud nos regnare videtur, defunctus est, & iste relictus est
parvulus, & qui fuit servus factus est liber & qui liber fuit
effectus est dominus; & nullum se regem habere puta-
bant; sed ecce nunc postquam omnia quae pater suus ha-
buit sibi subiecit, vult firma stabilitate hoc quod paramus
pactum servare: de Spanis vobiscum non spondemus,
quia non sunt sub ditione regni nostri: sed in quantum va-
lemus eos superare, sicut vos ita & nos contra illos in mare
dimicare permittimus: & si soli nos non valemus nos a
parte nostra & vos a vestra Christianorum finibus eos ab-
jiciemus. Post haec vero convenit illis, & confirmavere
in scripto inter se pactum in annos decem: & dedit eis Mis-
sum nomine Theopistum norarium, & reddidit illis quan-
tos habuit comprehensos de ipsis Sarracenis, ut illos Chri-
stianos quos de suis partibus praedaverent, reddidissent.
Et postquam jam dictum pactum inter se firmaverunt, &
Missus ab ipso Patricio absolutus est, invenit in catena unum
hominem sub nimia velocitate ad Patricium nunciare fe-
stinans, quod septem navigia Maurorum praedaverunt un-
num vicum in Regio, & duae naves ex eis post eos ad littus
exierunt vacuae. Nam & hoc nunciavit nobis ipse Missus
noster, quod audisset ab hominibus Sarracenorum missis,
quod istolunio mense tractata sextae inductionis voluissent
cum alijs centum navibus ad Sardiniam peragrare, & dum
venissent propè Sardiniam subito aperta est maris vorago
& subglutivit illa centum navigia, & postmodum sic cum
magno

timore reversi sunt ipsi Sarraceni, qui hoc dicebant, in Africam, & nunciaverunt ad familiam de illis qui submersi sunt. Cumq; ipse Missus noster talia audisset, interrogavit illum notarium qui eum custodiebat si veritas esset quæ ab illis Sarracenis audierat: & dixit ipse notarius quod ita esset, & ipse ore proprio legisset ad Patricium illam epistolam quam ei unus Christianus amicus suus ab Africâ direxerat, in quâ de submersione de prædictis centum navigijs continebatur. Et hoc factum est mense Iunio, quando illud signum igneum tanquam lampadem in cælo multi viderunt. Ipsi vero Missi Sarracenorum in navigijs Veneticorum venerunt, & sic veniendo combusserunt igne navigia quæ de Spaniâ veniebant. Ecce quod per hominem nostrum audivimus Serenitati vestræ intimare curavimus: sed precamur Serenitatem vestram, ut postquam ipsa epistola Gregorij Patricij relecta fuerit à vobis nobis eam dirigere non dedigmini. Quare autem minimè vobis epistolam ipse Patricius misit, & in illam quam nobis direxit nomen vestrum non exaravit, cum à vobis perlecta fuerit statim vestra à Deo data sapientia cognoscere poterit, cur vobis epistolam ut decuit non emisit. Tamen si præsumptio non nobis imputatur, quod amando ea quæ de hac resentimus, Serenitati vestræ insinuamus. videtur nobis, quia sine consultu Leonis Imperatoris sui non ausus est vobis adhuc epistolam suam dirigere. His præmissis, Omnipotens & misericors Deus sua vos protectione custodiat, atq; per multorum temporum annos ad gaudium æternum perducatur. *Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eiq; omnium gentium colla substernat.* Absoluta III Id Novembr. Dixit Gregorius Patricius ad Missum nostrum, quod Michael Imperator monachus effectus est cum uxore & filiis suis.

EPISTO,

EPISTOLA III.
DE OCCISIONE MAVRORVM
IN GRÆCOS.

Domino Piissimo & Serenissimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini nostri Iesu Christi, Karolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei. Scimus igitur vestram à Deo protectam Imperialem potentiam semper de integritate & exaltatione atque custodia matris suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ ejusq; finibus sollicitissimam habere sollicitudinem, & ideo notum facimus Serenitati vestræ ea quæ nuper audivimus & ex parte certi sumus. Vestræ liquidem à Deo data sapientia incognitum non est, quod illa nefandissima Agarenorum gens partibus Siciliæ anno præsentis venire consiliaverat. Nunc autem, sicut audivimus, in quibusdam Græcorum insulis conjunxerunt. Pro quibus vero misit Michael Imperator Patricium & Spadarios cum stolo, ut contra eos Christo adjuvante dimicare debuissent. Cumque ipse Patricius in Siciliam conjunxisset, direxit missos suos per Beneventum ad Anthimum Neapolitanum ducem, ut cum toto ipso Neapolitano ducatu qui illi obedire voluissent navale auxilium ei præbere studuissent. Qui vero Dux occasiones proponens in adjutorio ejus ire contempsit. Kajetani tamen & Amalphytani aliquanta congregatos navigia in auxilio illius abierunt. Postmodum vero, ut audivimus, ingressi sunt ipsi nefandissimi Mauri, tredecim scilicet navigia, in insulam quæ dicitur Lampadusa, partibus Siciliæ constituta, & prædavere eam. Cumque de prædicto Græcorum stolo septem navigia itidem explorando perrexissent, ut se veritatem cognoscere potuissent, comprehendentes eos deo odibiles Mauri, occiderunt il-

log.

los; & dum expectassent eos Græci qui miserunt illos ad explorandum & minimè essent reversi, abierunt generaliter super eos, & Christo miserante toros illos iniquos Mauros occiderunt, ita ut nec unum ex ijs vivum reliquerint. Porro & hoc relatam est nobis: quadraginta naves de ipsis Mauris venerunt in insulam quæ Pontias vocitatur, ubi monachi residebant & prædaverunt eam. Postmodum verò egredientes ex eâ ingressi sunt in insulam quandam, quæ dicitur Iscla majore, non longè à Neapolitana urbe miliaria xxx; in qua familia & peculia Neapolitanorū non parva invenerunt: & fuerunt inibi a xv. usque ad xii. Kl. Septembr. & numquam ipsi Neapolitani super eos exierunt. Cumque totam ipsam Insulam deprædassent, implentes navigia sua de hominibus & ejus necessarijs reversi sunt post se. Kajetani autem, qui post desolationem jam dictæ insulæ ibidem fuerunt, dixerunt, quod invenissent homines occisos lacerè & granum & scirpha quæ ipsi Mauri portare secum non potuerunt, sed & caballos Mauriscos quos in suis ducebant navigiis occisos ibidem dimiserunt. Ecce quæcunque potuimus de Græcorum partibus, Serenitati vestræ intimare curavimus. De nostris autem terminis insinuamus vestræ tranquillissimæ Imperiali potentia; quia per intercessionem sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ & beatorum Apostolorum Petri ac Pauli, & per vestram prudentissimam ordinationem, omnia salva & illæsa existunt. A quo enim de illorum adventu vestra nos exhortavit Serenitas, semper postera & littoraria nostra ordinata habuimus, & habemus custodias; nosq; cum nostris sacerdotibus in ecclesia fautoris vestri beati Petri & Pauli omnipotentis exoravimus clementiam, ut suam sanctam Ecclesiam ab insidijs inimicorum custodire & defendere dignetur, vosque ad
exalta-

exaltationem & defensionem ejus per longa annorum curricula conservare & protegere lubeat, atque ad gaudia æterna per multa temporum spacia cum sanctis perducatur omnibus. *Piissimum domini Imperium gratia superna custodiat, eiq; omnium gentium colla substernat.* Absoluta vii. Id. Septembr.

EPISTOLA IV.
DE INIQUIVO CONSILIO
FACTO.

Domino Piissimo & Serenissimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini nostri Iesu Christi, Karolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei. Postquam enim epistolam Gregorij Patricij Siciliensis simul cum nostrâ emisimus Serenitati vestræ, conjunxit ad nos unum navigium nostrum cum aliquibus Græcis hominibus: ex quibus unus dixit nobis, quod dum esset Leo, qui nunc effectus est Imperator, contra Bulgaros ad pugnandum, Procopia uxor Michaëlis Imperatoris habuisset quendam amicum nomine Constantinum Patricium, & exhortasse eum ut sibi eum conjugio copulasset, promittens ei thesaurum absconditum multum, quod se abditum à patre suo habere dicebat, per quod populum erogare debuissent quatinus Imperatorem eum sibi elegissent. Tunc reductus sermonibus ejus, paruit iniquo illius consilio, & pacavit sibi multos dans largiflua dona: post hæc verò intromiserunt eum in Palatium Imperiale, laudem canentes ei. Ipse autem Constantinus fecit ad se accerseri Nicephorum Patriarcham, & dixit se coronare, sicut mos est Imperatorum. Ille igitur Patriarcha nolens coronare eum manibus proprijs, interfectus est.
B Vxorem

Vxorem verò Leonis Imperatoris exorbavit & filium ejus parvulum interemit. Hoc cum audisset Leo Imperator ubi erat in finibus Bulgarorum ad pugnam, cepit afflictis sermonibus increpare Patricios & optimates qui cum illo erant, dicens: Boni & Christianissimi viri, cur talem iniquitatem in me facere voluistis, quod elegistis me vobis Imperatorem? & ecce nunc & uxorem meam & filium meum occiderunt & levaverunt sibi alium Imperatorem. Tunc omnes stupore magno repleti dixerunt ei: Benignissime Domine nullam perturbationem ante faciamus donec intra civitatem ingredi valeamus. Et inito consilio deposuit Imperialem vestem & induit militarem, & tollens secum quinque millia, viros armatos electos ad prælium, reversus est ad murum civitatis Constantinopolitanæ, & cepit cum eis foris muros vocibus magna laudare ac dicere: Constantinum magnum Imperatorem multos annos. Cumque nunciatum fuisset quod multi milites fugissent à Leone, & venissent ad eum laudantes illum, fecit eis aperiri portas civitatis, ut rogam eis dare debuisset. Illis autem ingredientibus non pepercerunt neque viris neque mulieribus, sed neque parvulis quos invenire potuerunt. Et mortui sunt, ut fertur, XVI millia inter viros & mulieres. Tunc ipse Leo Imperator misertus est populo suo, & petijt cum Constantino bellum committere, ne pro duobus viris tantorum Christianorum sanguis effunderetur. Post hanc vero petitionem ingressi sunt ambo in locum qui dicitur Ippodromio, & occisus est Constantinus à Leone Imperatore. In eadem horâ interfecit Theodorum Patricium & omnes qui in ipso consilio fuerunt: Procopiam autem uxorem Michaëlis Imperatoris occidit, & membra ejus abscidens distribuit per murum civitatis. Cumque sibi vindictam taliter perfecisset & ordinasset congruè civitatem

tem reversus est ad exercitum suum in finibus Bulgarorum. Postmodum verò conjunxit ad nos unum hominem Gregorij Patricij, qui dixit nobis, quod neque Patriarcham occiderunt, neque uxorem Leonis Imperatoris exorbaverunt, sed neque filius ejus interfectus est, nisi unam parvulam filiam suam fecit Procopia uxor Michaëlis Imperatoris interficere. Hæc verò de Græcis hominibus audientes Serenitati vestræ intimare curavimus. His præmissis, Omnipotens & misericors Deus sua vos protectione custodiat, atque post multorum curricula annorum ad gaudia æterna perducatur. *Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eiq; omnium gentium colla substernat.* Absoluta VI I. Kl. Decembr.

EPISTOLA V.

Domino Piissimo & Serenissimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini nostri Jesu Christi, Karolo Augusto, Leo Episcopus, servus servorum Dei. Explere verbis clementissime fili non valeo, quantum vestro opere vestraque vitâ delector. Magnas igitur Omnipotenti Deo gratias reddimus, quia in ore cordis experimento dulcis fit sapor caritatis. Cum impleatur quod scriptum sit: *Sicut aqua frigida sitienti sic nuncius bonus de terrâ longinqua.* Serenitatis namque vestræ susceptâ plena consolationis epistola, continuo, ut decuit, gratiarum actiones omnipotenti Deo retulimus, qui vestram Imperialem potentiam pacis Ecclesiasticæ fecit esse custodem. Ipsa namque fides vos servat, quam erga sanctam Dei Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, fautricem & auxiliatricem in omnibus petitionibus vestris, atque in sacerdotali unitate servatis. Cumque vos jugo pietatis corve-

strum humiliter nostræ pusillanimitati subditis, caelesti gratiâ agitur, ut omnia quæ circa Deum ex vestra purissima voluntate agere cupitis divino adjutorio suffragati ad perfectionem secundum vestrum benevolum desiderium deducitis, & vestrum brachium forte contra inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ & vestros extenditis. Dilectionem igitur atque firmam caritatem quam erga Serenitatem vestram gerimus, est Deus in coelis, scrutator corda & renes, qui scit qualem amorem & sollicitudinem de vestra diutissima prosperitate cottidie habemus. Quia post Deum & sanctos suos nullum consolatorem habemus nisi solam vestram à Deo protectam Imperialem potentiam, unde semper exspectamus defensionem & consolationem. Relectis namque vestris Imperialibus syllabis reperimus in eis, quatenus Helmengaudus Comes vester nosterque fidelis omnia, quicquid à nobis audivit, vobis per singula nunciavit. Sed si omnia quæ cotidie patimur vobis insinuasset tam ipse quem etiam cæteri Missi vestri, qui istis partibus veniunt, fastidium eos auribus vestris credimus facere. Nescimus enim si vestra fuit demandatio, quod Missi vestri qui venerunt ad Iustitiam faciendam, detulerunt secum homines plures & per singulas civitates constituerunt; quia omnia, secundum quod solebat Dux qui à nobis erat constitutus, per distractionem causarum tolleret, & nobis more solito nunc tribuere ipsi eorum homines peregerunt, & multam collectionem fecerunt de ipso populo, unde ipsi Duces minimè possunt suffragium nobis plenissimè præsentare. Sed valde nobis gravis esse videtur si vobis fastidium facimus: confidimus enim in Dei misericordia quia in vestris temporibus sancta Dei Ecclesia tranquilla atque pacifica persistere habebit.

De autem omnibus bonis & prosperis quæ circa Missum

sum nostrum quem in partibus Britannia ad Anglorum gentem direximus, omnia pro amore Beati Petri Apostoli fautoris vestri operati estis, sicut solita est vestra clementia, magnas gratias vestrae pietati exinde agimus: quia semper in solatio sanctæ Dei Ecclesiæ & adjutorio orthodoxæ fidei decertatis. Sed sicut nobis per vestram honorabilem epistolam insinuastis quod Eardulphus rex de regno suo ejectus fuisset, jam hoc per Saxones agnoveramus, unde maximè ipsum Missum nostrum pro ipsâ nequitia illic direximus. Magnum enim gaudium & magna lætitia in corde nostro ascendit pro eo quod vestra pietas misit Missos suos, & vivum eum ad vos usque perduxistis. Et valde de vitâ ejus delector, quia & vester semper fidelis extitit, & ad nos missos suos dirigebat. Pro qua re vestra Imperialis defensio ubique multipliciter resonat.

De verò epistolis quibus vobis Eanbaldus Archiepiscopus & Cænulfus rex atque VVado emiserunt, relegendes, repperimus eorum dolositatem quam inter se habent. Unde valde contristamur. Quia iste Cænulfus rex nec suum Archiepiscopum pacificum habet nec istum Eanbaldum idem Archiepiscopum. Nam & de eorum divisione cotidie in beati Petri Apostoli, licet velut immeriti, preces fundimus, ut eos omnipotens Deus pacificet & discordiam quam inter se habent absolvat, & sicut coepit vestra Serenitas in ipsam pacem nobiscum detestare, sic incessanter elaborare dignemini, quatenus vestra merces copiosa accrescat in coelis. Misistis siquidem nobis, ut nos ratione Apostolicæ auctoritatis adhortatoriam epistolam sæpefato Eanbaldo Archiepiscopo per idoneum missum nostrum mitteremus, ut ad hanc sanctam Apostolicam sedem cum suis consentaneis venire debuisset, aut in vestra præsentia rationes deducendum. Nos vero statim ipsam

epistolam dictavimus & vobis emisimus. Sed si placet Serenitati vestræ, quod ipsam nostram epistolam per vestrum idoneum Missum ipsis in partibus ad Missum, quem itidem direximus, misissetis, ut una cum prædicto Misso nostro ipsum Archiepiscopum adhortasset, quatenus aut hic in nostrâ præsentia, aut ibidem in vestrâ unâ cum socijs suis conjunxisset, valdè nobis rectè visum fuisset; quia Missum nostrum nondum suscepimus, & ipsi homines dolosi sunt, ut ne Missos super Missos suscipientes in dolositate eveniant. Verumtamen nos Missum nostrum præparamus, donec secundum vestrum placitum demandetis, & si placet Imperiali potentia ut Missum nostrum ibidem dirigamus, vos nobis per vestram insinuationem significare lubeamini, & nos statim ipsum Missum nostrum dirigemus secundum vestram voluntatem. Omnipotens enim & misericors Deus suâ vos protectione longa per tempora conservare dignetur atque æterna gaudia cum Sanctis omnibus faciat possidere. *Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat eiq; omnium gentium colla substernat.*

EMBO L I M.

PRO tanto amore tantaque dilectione atque fide, quam erga vestram Serenitatem gerimus, ea quæ agnoscere valemus filere non possumus. Iesse verò Episcopus serviens vester aliud servitium vobis facere potest. Nam missaticum per patrias deportare non nobis videtur quod idoneus sit, neque ad secretum consilium provocandus. Sed rogamus vestram clementiam, ut de hac re clementer considerare debeatis, quia nos omnes in vestro servitio salvi existere cupimus. De autem Sacerdotalibus causis, unde nobis ad detrimentum venire speramus, quæ nos non sic possumus emendare, vobis insinuamus, ut in-

terroge-

terrogetis Helmgaudum & Hunfridum fideles vestros quando à nobis absoluti sunt, & in Ravenna conjunxerunt, & ab Archiepiscopo ad prandium invitati sunt, id est Dominico die ad palmas: quales lectiones & quales admonitiones ante ipsam mensam recitatas audierint, sicut decet in sancto quadragesimali tempore, quando omnes de suis facinoribus Deum deprecantur, ut mereantur emendare. Sed & ea quæ ibidem audierunt nobis turpitudine est vobis in scriptis insinuare.

EPISTOLA VI.

DE BENEFICIIS ACCEPTIS.

Domino Piissimo, & Serenissimo Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei & Domini nostri Iesu Christi, Karolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei. Magno munere misericordia Dei totius mundi multiplicata sunt gaudia, cum pio & glorioso clementia vestræ studio erga sanctam Dei Ecclesiam nostramque pusillitatem geritis, largifluæ tuæ munificentia susceptis pulcherrimis munusculis, relectisq; scriptis Serenitatis vestræ, quæ in nostro corde melle condita sapuerunt, ilico, ut decuit, gratiarum actiones tripudiantes gratulanter Deo retulimus. Quia non solum lætitiæ verba in ea repperimus, verum etiam & nostræ prosperitatis solertissimam curam agnovimus. Sed de tantis immensis beneficijs & muneribus, quibus jugiter nos ditatis, optamus ut ab ipso clavigero regni coelorum, cujus vicem, Deo miserante, gerimus, dignam retributionem suscipiatis, cui tantum honorem assiduè exhibetis. Scimus namque & fideliter scimus, quia per omnia & in omnibus vobis pertinentibus nostrum gaudium vos esse facturos: sed commutatio ex-

tio excelsi quæ pia facta probat & benigna solitâ pietate re-
pensat, ipsa pro nobis digna præmia vestræ pietati retribu-
at. Post verò munerum offerentiam insinuaverunt nobis
fidelissimi Missi vestri, Helmengaudus videlicet atque Hun-
fridus gloriosi Comites, quod filius noster Dominus Pippi-
nus rex ad limina Apostolorum per vestram largitatem
mediâ quadragesima cupit venire, atque conloquium no-
biscum habere. Vnde in magnum gaudium cor nostrum
relevatum est, quod ipsi fidelissimi Missi vestri vivâ voce
vobis insinuare possunt, & continuo omnia cum ipsis di-
sposimus de prædicti dulcissimi filij nostri itinere, Mis-
sumque statim nostrum direximus, qui omnem præpara-
tionem facere deberet, quatenus cum lætitiâ ad limina A-
postolorum nostræque pusillitati conjungeret. Igitur post
modicos, octavo scil. Kl. Apr. conjunxerunt ad nos Missi
præfati filij nostri domni Pipini Regis, & obtulerunt nobis
honorabilem epistolam vestram. Quam relegentes repper-
imus vestræ prosperitatis salutem atque solertissimam cu-
ram quam erga tranquillitatem sanctæ Dei Ecclesiæ vestra
Serenitas semper gerit, atque de adventu filij nostri dom-
ni Pippini, ut non antea esset venturus nisi post diem san-
ctum Paschæ, apto videlicet tempore. Credat enim nobis
vestra clementia, quia quocunq; tempore ad nos conjunxe-
rit cū tanto gaudio tantâq; lætitiâ eum suscipiemus, quan-
tū condecet filio tam magni defensoris sanctæ Dei Ecclesiæ:
quia scimus Domino opitulante, eò quod & nobis & illi
profectum erit si nos conjunxerimus. Iterum postquam
conjunxerunt ad nos ipsi prædicti Missi Filij nostri domni
Pippini Regis, & dixerunt nobis, quod in mediâ quadra-
gesima minimè conjungere potest, porrexerunt nobis
præfati Missi vestri, videlicet Helmgaudus & Hunfridus
gloriosi Comites, aliam epistolam Serenitatis vestræ, ubi
conti-

continebat ut ipsi fidelissimi Missi vestri apud filium no-
strum domnum Pippinum prius adirent, & de vestro verbo
ei præciperent, ut ubi ambobus placuisset nobis obviam
occurrisset, ut quod vos omnimodo optatis, cum Dei ad-
jutorio veniat ad perfectionem, id est ut pax & concordia
inter nos firma & stabilis Deo mediante constituatur. In
veritate enim dicimus, quia donavit nobis Dominus pa-
cificum Imperatorem, de quo Apostolus dicit: *quàm spe-
ciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.*
Nam omnipotens Deus vestrum potest cor satisfacere;
quia nullam discordiam nullamque iniquitatem circa eum
habemus, sed sic eum diligimus & illius profectum cupi-
mus, sicut de carissimo filio: sed qui zizania portant in con-
spectu vestro vel filij nostri domni Pippini regis, quod nos
nec in corde habemus; omnipotens deus qui justus iudex
est, ante cujus conspectum omnia occulta patefunt, ipse
judicet inter nos & ipsos. De vero Ecclesiis Dei ut suas
habeant justitias, atque littoraria nostra & vestra ab infe-
statione paganorū & inimicorum nostrorum tuta reddan-
tur atque defensa, nos, quantum Dominus virtutem do-
naverit, cum ipso prædicto filio nostro studium ponimus:
sed vestrum consilium & vestrum solatium & nobis & illi
necesse est. De autem insulâ Corsicâ, unde & in scriptis
& per Missos vestros nobis emisistis, in vestrum arbitrium
& dispositum committimus, atque in ore posuimus Helm-
gaudi Comitis, ut vestra donatio semper firma & stabilis
permaneat, & ab insidiis inimicorum tuta persistat, per in-
tercessionem sanctæ Dei genitricis & beatorum principum
Apostolorum Petri ac Pauli, & vestrum fortissimum bra-
chium, & Domino miserante, tempore apto, quantum
plus celerius valuerimus, per fidelem Missum nostrum om-
ni utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ vestræ Imperiali potentie
liqui-

liquidius innotescimus. Omnipotens igitur & omnium futurorum præcius Deus ipse vos faciat prosperis exaltari triumphis, & post longævam vitæ ætatem gaudia tribuat sempiterna. *Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eiq; omnium gentium colla substernat.*

EPISTOLA VII.

QVÆSTIONES SOLVENDÆ.

Domino Piissimo & Serenissimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini nostri Iesu Christi, Karolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei. Remeante ad nos, Domino annuente, Sabino religioso Episcopo. de partibus transmarinis, obtulit nobis Serenitatis vestræ epistolâ continentem de inuncta sibi legatione vel captu atq; redemptione Adulphi diaconi Missi nostri, de quo in magno marore manemus quousq; omnipotens Deus illum ad nos usq; per vestrû deducat solatium.

Repperimus etiam in ipsa honorabili vestrà epistola tres quæstiones subjunctas. Vnam quidem de eo quod scriptum est in Evangelio secundum Matthæum, ubi dicitur de domino nostro Iesu Christo: *& veniens Nazareth habitavit ibi: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazarenus vocabitur.* Alteram de eo, quod in principio Evangelij secundum Marcum testimonium Propheticum ita positum est: *Initium Evangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Isaiâ Prophetâ, ecce mitto angelum meum qui preparabit viam tuam ante te.* Tertiam de epistola egregij doctoris Pauli Apostoli priore ad Corinthios, ubi dicit: *Si enim cognovissent, numquam dominum gloria crucifixissent; sed sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ preparavit Deus diligentibus se.*

Scribit:

Scribit enim beatus Hieronymus de quæstione primâ, id est secundum Matthæum, quod hoc in Isaiâ scriptû habeatur, sed id magis juxta sensum usum beatum fuisse Evangelistam quam juxta sermonis proprietatem. Scriptum namque est in commentario ipsius Evangelistæ ab eo beato Hieronymo. *Et veniens habitavit in civitate qua vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazarenus vocabitur. Si fixum de Scripturis posuisset exemplum, numquam diceret; quod dictum est per Prophetas; sed simpliciter, quod dictum est per Prophetam. Nunc autem per Prophetas vocans, ostendit se non verba de scripturis sumpsisse sed sensum. Nazareus enim sanctus interpretatur; Sanctum autem dominum futurum omnis scriptura commemorat. Possumus & aliter dicere, quod etiam eisdem verbis juxta Hebraicam veritatem in Isaiâ scriptum sit: *exiet virga de radice Jesse & Nazareus de radice ejus conscendet.**

De testimonio verò beati Marci Evangelistæ, quod in principio sui profert Evangelij dicens: *Initium Evangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Isaiâ Prophetâ: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam qui preparabit viam tuam ante te.* Et iterum: *Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius.* Sciendum est quod è duorum testimonij Prophetarum unum contexuit corpus Malachiæ videlicet & Isaiæ, quorum unius edixit alterius vero tacuit nomen. Quod enim ait: *ecce mitto angelum meum &c.* de Malachiâ protulit. Quod vero adjecit: *Vox clamantis in deserto &c.* Isaiæ vaticinium est. Sicut in ipsius Malachiæ expositione beatus profert Hieronymus dicens. *Marcus Evangelista duo testimonia Malachiæ & Isaiæ sub unius Prophetæ sermone contexens, ita exorsus est: initium Evangelij Iesu Christi sicut scriptum est in Isaiâ Prophetâ. Ecce mitto Angelum meum ante te qui parat viam tuam.* Hoc,

licet verbis aliis, in Malachia legimus. Quod autem sequitur: vox clamantis in deserto &c. ab Isaiâ Prophetâ dicitur. Item verò in commentario Matthæi idem beatus dicit Hieronymus. Cum enim testimonium de Isaiâ Malachias, contextum sit, queritur quomodo velut ab uno Isaiâ exemplum putemus adsumptum: de quo Ecclesiastici viri plenissimè responderunt.

At vero Testimonium beati Pauli Apostoli, quod in epistola ad Corinthios protulit, dicens: *Quod oculus non vidit nec auris audivit &c.* in Isaiâ Prophetâ scriptum habetur aliis quidem verbis eodem tamen sensu. Sic namque scriptum est ibidem: *à seculo non audiverunt neq; auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absq; te quæ preparasti expectantibus te.* Requirit prudentissima vestra Imperialis potentia in capitulo centesimo septuagesimo, & ita inveniet. Quanquam beatus Ambrosius hunc sermonem in expositione ejusdem Epistolæ, juxta scriptum Apostoli in Apocalypsi Helia in apocryphis scriptum esse adfirmat.

His præmissis, Omnipotens & misericors deus suâ vos protectione custodiat, atque per multorum curricula annorum vitam tribuat sempiternam. *Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.*

EPISTOLA VIII.
INTERCESSIONES ET CÆ-
TERA.

Domino Piissimo & Serenissimo, Victoriæ Triumphatori, Filio, amatori Dei & Domini nostri Iesu Christi, Carolo Augusto, Leo Episcopus Servus Servorum Dei. Omnes enim qui se nobis fideles asserunt, si vestræ Imperiali potentia sic fideles non extiterint, ita ut
omnes

omnes pacem atque dilectionem quam, Deo miserante, erga sanctam Dei catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam matrem vestram & nos geritis, cognoscere valeant, vacua est spes eorum & labor eorum sine fructu, & inutilia sunt opera illorum, exceptis his qui per ignorantiam in aliquod ut homo fecerint. Verumtamen & ipsi corrigendi esse judicamus. Misit siquidem nobis vestra Serenitas, eo quod Adolphus diaconus, Missus nostræ Apostolicæ sedis, cum à vobis more solito benigne ac honorificè susceptus esset & usque ad portum maris deductus, atque exinde ad navigationem commodè absolutus, & cum verteretur ad vos primum se velle venire profiteretur, noluit Missum vestrum expectare qui eum usque ad vos deduceret, sed arrepto itinere quasi fugiens, cum vos illum per dies aliquot expectaretis ad vos venturum sperantes, spem vestram delusit. Et quod Missum Eanbaldi Archiepiscopi, qui ipse literas suas ad vos misit petens ut prædictum legatum ejus ad vos venientem benigne suscipereis, & eum ad vos venire permetteretis, sed neque ille secundum domini sui præceptum peragere studuit. Quamobrem credat nobis vestra Serenitas, carissime ac dulcissime Fili, quia per nullum iniquum quodlibet consilium hoc facere perpessi sunt, sed ignorationes seculi hujus solertia hanc stolidam occurrencem perfecerunt. Nos verò Apostolicâ suffulti auctoritate, secundum vestram voluntatem vestræ Imperiali potentia eos dirigere non omitimus. Sed precamur clementiam vestram, ut pro amore beati Petri Apostoli fautoris vestri, in cujus servitio prædictum Adolphum diaconum emisimus, immo etiam in ipsum quod nobis sub jusjurando pollicitus est, ut ad profectum sanctæ Dei Ecclesiæ & vestrum atque nostrum decertare debuisset, & pacem in ipsa insulâ seminare studuis-

set, iterum ipsis in partibus remittamus, nullam pro hoc sustineat tribulationem, ut cum Prophetâ dicere valeat, *corripit me iustus in misericordiâ.* Quis enim vestram à Deo datam sapientiam illudere valebit? cum superna gratia sicut vos proculdubio credimus ut habeatis. Sed quia homines sumus & fallimur, petimus pietatem vestram, ut hanc eorum noxam beato Petro Apostolo concedere non dedignemini, ut ab ipso clavigero regni cælestis præmium mercedis suscipere mereatis. De autem quod nobis emisit vestra Serenitas, fraudulentam eos habere legationem quam vobis ostendere timuerunt, & quia propter hoc tam festinanter profecti sunt, ut Ardulphi regis iter Romam prævenire potuissent, omnes epistolas quæ de partibus illis nobis perlatae sunt pro vestra satisfactione vobis emisimus legendas. Prædictum verò Missum Eanbaldi Archiepiscopi, in quantum Deo auspice agnosceret valuimus, in omnibus Dei famulum eum comperimus. Vnde obnixè quæsumus vestram Imperialem potentiam, ut pro eo quod ad fautorem vestrum beatum Petrum Apostolum directus est, melius illi sit & non deterius, sicut modis omnibus esse credimus, quanquam ignoranter fefellit. Quia valdè pertimescimus ne ipse populus acquisitionis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, per quamlibet occasionem, & certamen prædecessoris mei domni Gregorij beatissimi Papæ, quod ipsis in partibus posuit, meis temporibus infructuosum existere videatur, nec mihi in iudicio eveniat. Quid plura dicimus? Sicut per eorum stultitiam agnovimus in aliquod vestrum furorem, ita per infusionem sancti Spiritus velocius à vobis vestram sentiamus misericordiam. His præmissis; Omnipotens & misericors Deus suâ vos à malis omnibus protectione custodiat, & quoniam vita vestra bonis omnibus valdè est necessaria, post longa adhuc

huc tempora vos ad cælestis patriæ gaudia perducatur. *Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eiq; omnium gentium colla substernat.* Prædictæ verò Epistolæ quæ de Saxoniae partibus nobis missæ sunt magnopere precamur clementiam vestram, ut eas nobis remittere jubeatis, quia eorum verba pro pignore retinemus. *Absolut. prid. Kal. Ianuar.*

EPISTOLA IX.

QUALITER QUIDAM EPISCOPVS EXSUL INVENTVS.

Domino Piissimo & Serenissimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini nostri Iesu Christi, Karolo Augusto, Leo Episcopus Servus Servorum Dei. Dum vestrae Imperiales Syllabæ de civitate in civitatem ad nos pervenissent, quæ & à nobis susceptæ ac relectæ fuissent, repperimus in eis, quatenus à Gradenfi insulâ, ubi Fortunatus Archiepiscopus suam propriam sedem habere videbatur, propter persecutionem Græcorum seu Veneticorum exul esse dignoscitur; & si congruè nobis apparuisset, pro causâ necessitatis in Pola, ubi jam dudum Amilianus quidam Episcopus præfuit, quæ & diæcesis prædicti Fortunati Archiepiscopi existit, illic suam sedem haberet: & qualiter vestra à Deo protecta Imperialis potentia sine consultu Apostolatus nostri nequaquam eum aliubi collocare voluit. Nos verò de hac re pertractantes providimus. Ut secundum qualiter vestra Imperiali elementæ complacuit ut in Polana Ecclesiâ persisteret, ita maneat, sub eo prorsus tenore: Ut si, Domino annuente & B. Petro Apostolo protegente, per vestram in triumphis Victoriâ, ipsa sua sedes illi restituta fuerit, secundum

dum qualiter prædicta Polana Ecclesia integra cum omnia sibi pertinentia susceperit, sic iterum ea restituatur, & non de rebus ejus aut pecuniâ ad suam debeat subtrahere sedem, sed neque cuiquam ex ipsis rebus seu pecuniis atque speciebus dare quoquo modo præsumat, ut ipsa Ecclesia semper inrefragabiliter cum suo antistite salva existere possit. Reservatur siquidem in ipsis vestris Imperialibus apicibus, quomodo in Aquis palatio nobiscum providistis de Aquilejensi Ecclesia velut unâ quæ suam sedem haberet. Credat enim nobis vestra clementia, & quod quicquid ibidem unâ vobiscum vel cum fratribus & coëpiscopis nostris oratores vestri pertractavimus, omnia ad mercedem animæ vestræ seu filiorum vestrorum esse conspicitur. Omnipotens & misericors Deus per intercessionem sanctæ suæ genetricis, suorumque Apostolorum Petri & Pauli diu vos in hoc mundo conservare dignetur, & per multorum annorum curricula cælestia regna cum suis faciat adipisci. *Piissimum Domini Imperium gratia superna custodiat, eiq; omnium gentium colla substernat.*

EMBO L I M.

ET hoc vestræ Serenitati intimare curavimus de præfato Fortunato, ut sicut semper pro illius honore temporali laboratis, ita & de anima ejus curam ponatis, ut per vestrum pavorem suum ministerium melius expleat. Quia non audivimus de eo sicut decet de Archiepiscopo, neque de partibus istis, neque de partibus Franciæ, ubi eum beneficiastis. Tamen gratias agimus Deo, quia omnia vobis incognita non erunt. Interrogate quidem fideles vestros, & omnia vobis nota fient; eo quod illi qui vobis eum collaudant hoc per munera & calciaria faciunt. Quid nobis plus amabile est quàm vestra dulcissima anima? Et Deus cognitor

cognitor est, quia post salutem animæ vestræ hæc omnia vobis insinuamus, eo quod de tanto amore quem erga vestram Serenitatem gerimus, ideo silere non possumus. Potestis interrogare fratrem nostrum Hildibaldum Archiepiscopum & Ercanbaldum cancellarium. Fortassis exinde aliquid cognoveritis, quia cognovimus eos animæ vestræ fideles in omnibus.

EPISTOLA X.

QUALITER MISSI JUSTITIAM
FACTURI DAMNUM FERCERVNT.

Domino Piissimo & Serenissimo, Victori ac Triumphatori, Filio, amatori Dei ac Domini nostri Jesu Christi, Karolo Augusto, Leo Episcopus servus servorum Dei. Ad hoc omnipotens & invisibilis Deus noster vestram à Deo protectam Imperialem potentiam sanctæ suæ Ecclesiæ fecit esse custodem, ut ubique gubernatione laudabili ad augmentum gloriæ vestræ vigilantior existeret, & quos consilio exterius regitis perire interius non permittatis, quatenus per fructum piæ sollicitudinis vestræ ad æterna quæ sanctis suis daturus est gaudia pertingere mereatis, atq; ex bonorum vestrorum actibus dignam retributionem multipliciter percipiatis. Misimus itaq; præsentis oratores nostros, Ioannem videlicet reverendissimum Episcopum & Basilium religiosum egumenum, visitationis causâ ad vestram Imperialem clementiam, cum benedictione beati Petri Apostoli fautoris vestri. Sed petimus Serenitatem vestram ne injuriosum ducatis quod non ali-

D

quid

quid dignum munificentiae vestrae vobis dirigere valui-
mus. Verumtamen de beati Petri Apostoli rebus, quam-
vis parvae sunt quae offeruntur, pro magna semper benedi-
ctione suscipienda sunt, quoniam & hic vobis valebit ma-
jora impendere, & apud omnipotentem deum beneficia
aeterna praesentare. Dum enim in hominibus post Deum
& sanctos suos non nisi in vestram Imperialem potentiam
fiduciam habemus, justum prospeximus, ut & gaudium
nostrum & angustias quas assidue patimur vestris prius in-
timaremus auribus, ut oblationem quam vestri dulcissimi
parentes & vos ipsi beato Petro Apostolo obtulistis, acce-
pta atque secura sit in conspectu ejus, quatenus ab ipso
clavigero regni caelorum, qui vos in suis utilitatibus de-
fensores constituit, dignam retributionem percipere me-
reamini, & vestra opinatissima Imperialis munificentia in
universo fideli populo laudabiliter diffametur, & nos pro
causa negligentiae ante tribunal Dei cum ipso domino &
nutritio nostro beato Petro Apostolo in judicio minimè
provocemur, pro eo quod oppressiones populi Dei vestrae
non nunciaverimus clementiae. Misit igitur pia Sereni-
tas vestra Missos suos, ut justitiam nobis facere debuissent,
sed magis damnum quam profectum nobis fecerunt. Ve-
rumtamen missos vestros qui ad nos venerunt interrogare
dignemini, & ipsi viva voce insinuare possunt ea, quae in
nostris hominibus audierunt vel viderunt peracta. Sed
& praesens Ioannes Episcopus Missus noster per singula ve-
strae potest innotescere Imperiali potentiae; quia omnia,
quicquid per vestrum pium ac legale iudicium de causa vi-
delicet palatii Ravennatis recollectamus, unde & iussistis,
ut nullus quilibet homo impostero conquassare aut in ju-
dicio promoveri praesumeret, tam de vulgaria quam etiam
de man-

de mansis, quos per vestrum dispositum Herminus fidelis ve-
ster nobis reassignavit; omnia cum casis vineis seu labo-
ribus atque pecuniis abstulerunt, & nihil exinde nobis re-
mansit. Quamobrem quaesumus vestram Imperialem
clementiam, ut sic de vestra a Deo accepta donatione,
quam praedicto Dei Apostolo obtulistis, peragere jubeatis,
quatenus in nullam minuat parte, sed maximè per vestrum
laboriosum certamè firma atque stabilis & inconcussa peren-
nis temporibus persistere valeat, & nos, licet impares tan-
tum deo miserante vice ejusdem discipuli tenentes, securiter
ac patienter Dei omnipotentis possimus exorare clementiam,
ut vestrum robustissimum brachium fortiter contra inimicos
sanctae dei Ecclesiae extendat, & omnes barbaras nationes
pede fortitudinis opprimatis. *Piissimum domini Im-
perium gratia superna custodiat, eiq; omnium gentium col-
la substernat.*

HERMANNI CONRINGII

AD LEONIS III PAPÆ EPI-
PISTOLAS NOTÆ.

E Pistolæ quas dedimus descriptæ à nobis sunt ex mem-
branis antiquis bibliothecæ Academiae Iuliæ, sed
quas olim habuit Matthias Flacius Illyricus, vir rerum an-
tiquarum studio & peritia celeberrimus. Meminit ille ea-
rum cum in Catalogo Testium veritatis tum in Centuria
octava Historiæ Ecclesiasticæ, imò ex ijs excerpta nonnulla,
signo in membranis superstite notata, publicavit; quum
tamen harum nullam integram exhibuerit, ab aliis illæ de-
sideratæ sunt, à Gretzero ipsa Flacij fides suspecta fuit red-
dita, quasi ille finxerit se habere quæ nusquam exstant.
Longa satis & petulans, pro more hominis, Gretzeri in Fla-
cium investiva præmissa est Epistolis variorum Pontifi-
cum ad Carolum Magnum quas ipse edidit. Sane quod
hactenus latuerint argumento est exempla earum per esse
rara: quippe cum Papparum illius avi sive amor sive odium
multos ad vulganda hæc potuerit invitare. Neque nobis
cognitum est, ex quo angulo Flacius opusculum hoc erue-
rit. Parùm etiam hoc scire refert, cum jam constet sibi Fla-
cij fides. Leonis Papæ, cujus præ se ferunt nomen,
epistolæ esse, vetat nos dubitare præter membranarum ve-
tustatem ipsa dictio, Romanæ curiæ illa tempestate propria,
& rerum cum certis monumentis adeo attemperata con-
sensus, ut figmento humani ingenij, præsertim nullo lucro
invitante, non possit esse locus. Caterùm à Leone longe
plures imò pene infinitas ad Carolum literas esse scriptas
facile liquet ex illa diligentia scripturiendi, quam vel hæc
pau-

unde hac scriba

Græfoni petulata

unde constet
Leonis.

HERMANNI CONRINGII NOTAE

pauca præ se ferunt. Nec tamen, quod sciam, hujus Pontificis ullæ sunt editæ præter tres tertio Conciliorum tomo ante hos triginta amplius annos insertæ. Perierintne an conualescant alicubi reliquæ, haud dixerim: forte decas hæc alios longe plura & meliora faciet promere. Quod profecto nostrâ fieret cum voluptate.

Expressimus autem hæc nostras cum suis summariis quales in membranis reperimus & ut reapse sunt, quod Flacius rectè dixit, *prorsus rudes & barbaræ*. A librario aliquid lutulenti contractum non dubito. Sed cum hujus sordes ab ipsiusmet auctoris cœno distinguere non licuerit, ne quid temerè mutaretur, consultius est visum omnia relinquere prout accepimus. Enimverò rectè quidem de Carolo Magno scripsit Ionas Aurelianensis exordio libelli adversus Claudium Taurinensem: *Non solum apud Germaniam studium literarum & amor sanctarum scripturarum, verum etiam apud Galliam eius memorabilis viri solertissimo studio & ferventissimo desiderio accensum est, ut, Domino operam ferente, in sibi commissa Ecclesie filijs & liberalium artium apprime disciplina & divinarum scripturarum perfecta polletet intelligentia*. Rectè, inquam, hæc Ionas. Etenim hodieque superant ex illo ævo monumenta Gallorum Germanorumque quæ merito toleres si nolis laudare. Italia tamen, quantum constat, vix tum quenquam habuit, Paulum & Paulinum Aquilegienses excipe. *mediocriticulè eruditum*: Romæ barbaries ipsam sedem suam posuisse videtur unde tanquam ex arce copias suas mitteret in Ecclesiam omnem Occidentis. Id ipsum non læ tantum literæ Leonis docent, sed etiam illorū Paparum quos Gretzerus & alij ediderunt, imò & Anastasij Romani Bibliothecarij superstites libri, utut hunc Græce & Latine doctum voca-

AD EPISTOLAS LEONIS.

vocare non dubitaverit Bellarminus. Omnia videlicet hæc notæ ejusdem sunt, hoc est foeda barbarie coinquinata, eoque verè Romana, ut tum erant Romana omnia.

In ordine Epistolarum seriem temporis non observavit collector, perinde ut ille qui Gretzerianum volumen congestit. Omnes tamen hæc literæ ad Carolum jam Imperatorem Romanum & quidè ultimis ejus vitæ annis sunt exaratae. Ea res facit, ut ex hisce literis discere sit quod ex alijs, à Gretzero etiam editis, discere haud licet: quâ reverentiâ videlicet Papa Cæsarem alloqui etiam tum fuerit solitus. Gretzerianæ etenim illæ Adriani ad Carolum adhuc Patricij tantum dignitate fungentem sunt scriptæ; nec ex illo ævo superest fortassis aliqua epistola alia ad Imperatorum quempiam à Papis transmissa; certè in publicum hactenus non est edita. Cum primis enim merentur notari, cū utraque formula quâ & exorsus est & finivit omnes literas Leo, inque illa vox solemnis *Domini*; tum passim occurrentia illa *clementia vestra, clementissime fili, humilitas nostra, nostrum servitium*. Etsi enim & in Gregorij Magni epistolis ad Cæsarem frequentissimè hæc legantur, à sequentium tamen temporum consuetudine multum sunt aliena, postquam Cæsarum imperio projecto Papæ voluerunt haberi prorsus *ἀντιπροσώπων* & ipsorum Cæsarum regumque domini. Neque verò est quod credas blandis adeo & humilibus voculis ex more, erga alios etiam reges infra Cæsaream dignitatem positos sueto, usum tum Leonem. Nuspiam enim cum alias tum in omni Epistolarum Gretzerianarum volumine compareret ille *clementissimi* aut *domini* titulus, sed tantum *domini excellentissimi*. Inter *domni* autem & *domini* voces ingens profecto illa tempestate fuit discrimen: quod neminè scriptorum ejus ævi peritum temerè latet. Scilicet coluit

Componis penes
Paba.

Ug.

profulitas. e.

mi domni e
mitri desen

HERMANNI CONRINGII NOTAE

coluit Leo Carolum quomodo antehac à Papis Cæsar coli solet. Annales Francici ipsâ Ludovici Pij. aetate conscripti, de hoc nostro Leone, ubi populus Romanus Carolû Cæsarem proclamasset, in hæc verba loquuntur: *Post quas laudis more à pontifice antiquorû Principû adoratus est.* Notavit Guicciardinus tabulas suas Papam hisce tum verbis consignasse: *Imperante Carolo domino nostro.* In omnibus porrò epistolis elucet quanta animi submissione erga Cæsarem fuerit tum Leo, sive narret aliquid, sive petat, sive se excuset. Est enim haud parum reverentiæ exhibeant Carolo Adrianus, Stephanus, alij, cum Patricius adhuc ille audiret, longè submissus tamen erga jam Cæsarem sese Leo gerit.

Et verò hic præcipuus est ille fructus quem ex literarum Leonis lectione possis petere. Nec egò alij fini potius eas edidi, quàm ut pateat clarissimè veritas eorum quæ de Cæsarea in Papis per Carolum acquisitâ auctoritate libro de Germanorum Imperio Romano c. VII. multis disputata sunt. Apparet verò etiam ex his epistolis id quod ibi demonstravimus, per legatos suos, quos tum Missos appellare mos fuit, Cæsarem jus dixisse & per omne Petri patrimonium & in ipsâ Vrbe Roma: quemadmodum scilicet tulisse tum consuetudinem in omnibus Francici juris regionibus aliàs ostendimus. Quamvis enim de injuria per legatos illos sibi factâ conqueratur non semel Leo, tamen ipsam judicandi potestatem nusquam vocat in dubium. Videtur tamen etiam ille omnem operam navasse quo sensim hoc onere se levaret, integra impetrata libertate. Huc enim spectasse meritò dixeris illas de iudicib^o istis Cæsareis perpetuas querelas; cum primis vero illud quod à Carolo Leoni objectû esse liquet ex epistolâ primâ, quod neminè receperit in gratiam Leo qui Cæsaris auxilium imploraverat,

AD EPISTOLAS LEONIS.

rat, quo omnes alios ab ope illa petenda deterreret. Pertinere enim hoc videtur ad morem illum quem Appendix Eutropiana hisce verbis narrat apud Flacium: *Tanta Imperialis virtus ibi vigeat, ut si in legali iudicio minoris vel inscîj causa postponeretur, & ille alicuius consilio pedes teneret Legatû Imperatoris, petens ab eo justam legem, & Missus adiuraret Principes Romanorum, dicens: per eam fidem quam Domino Imperatori debetis, facite huic homini iustam legem: nemo erat ausus declinare neq; ad dextram, neq; ad sinistram, etiamsi à propinquis Pontificis illata esset iniuria.* Verùm Cæsarem illam potestatem illibatam usque ad obitum Ludovici II Imperatoris permansisse, alibi probavimus.

Meretur verò & in his epistolis observari id in quo uno pene omnes Gretzerianæ sunt occupatæ, studium nimium illius aetatis Pontificum in acquirendo arcium urbium & terrarum dominatu. Res Apostolo & Ecclesiæ universæ sacris canonibus summè vetita, imò ante hanc tempestatem à nemine tentata. Quæ tamen ubi Papis successisset usque adeo omni nocuit Occidentis Ecclesiæ, ut ab hoc uno potissimû pravo exemplo omnes vel certè maximos ejus morbos profectos esse meritò dixeris. Nec enim fieri aliter potuit, posteaquam sacrorum postposita cura, ad mundi negotia animum omnem appulerunt Episcopi luxu avaritia libidine ex eo perdit, quin in mores omnium ut & doctrinam mala semina spargerentur eaq; brevi lætissimè adoluerent. Ab hoc certe potissimû tempore à pietate & puriore fide Ecclesiâ occidentis abiisse, est certissimû. Nec tamen causam præcipit adeo lapsus veriore aliam attuleris. Id quod viderunt etiam illi, qui sanctos angelos tum quando Constantinus Cæsar occidentale Imperium Papæ donavit, exclamavisse: *Hodie in Ecclesiâ venenum effu-*

HERMANNI CONRINGII NOTAE

sum est, fabulati sunt. Vt ut enim omne illud de Constantino puridum sit Romanae curiae commentum, nec Papa aut quisquā Episcoporum alius ante Pipinum provincias, urbes, arces possederit, vero tamen est verius bona ejusmodi Ecclesiae haud minus atque pestilens aliquod venenum nocuisse.

Ceterum quā vafricie, quibusq; artibus ad illam potentiam isthac tempestate Papae pervenerint, quibus item commentis boni illi Principes Pipinus & Carolus ad novi exempli donum istud permoti sint, & quemadmodum fuerint circumventi, jam alias diximus *l. de Germanorum Imperio Romano*; secundā autem editione uberius dicturi sumus. Id non injuriā mireris, adhuc vivo Carolo inter Papas & ministros Caesareos circa patrimonij illius Petri (liceat enim & nobis ita loqui) administrationem perpetuas fere fuisse contentiones. Neque enim tantum ex literis multis Adriani in volumine Gretzeriano, sed etiam ex hisce paucis Leonis, id liquidò est perspicere. Plenae enim illae sunt querelarum de legibus donationis Pipinianae per Missos Caesareos violatis. Omnia autem tot Missorum suorum ejusmodi acta Carolum damnasse cui fieri verisimile? Imo non improbasse isthac omnia, haud malè colligas ex anxijis illis Paparum precibus, & Caroli responso, praesertim illo quod recitatur epistola primā Leonis. Extra dubium tamen est Carolum Romanae sedis fuisse studiosissimum. Bene enim Eginhartus: *Nec ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius quàm ut Urbs Roma sua operā suoq; labore veteri polleret auctoritate; & Ecclesia S. Petri non solum per illum iura ac defensa sed etiam suis opibus pra omnibus Ecclesiis esset ornata ac ditata.* Ex adverso haud dixerim equidē, Legatus Caesareis in Paparum accusationibus nunquam non fa-

ctam

AD EPISTOLAS LEONIS.

ctam injuriam. Quam facile enim retundi potuisset illa calumniam? Certè ne ipsa quidē impudentia fuisset ausa toties eandem cantilenā repetere. Occasionem igitur contentioni videtur dedisse Stephani III Papae mendacium, quo Pipino persuaserat Exarchatum Ravennatensem Pentapolim & alia per injuriam Papis fuisse erepta, cum ante munere Constantini Magni aliorumq; Caesarum in pleno fuissent Paparum vel (ut loqui illi malebant) S. Petri patrimonio. Illo videlicet mendacio inducti, & Pipinus & Carolus, citra exceptionem illarum regionum omnia in Paparum manu tradi suis tabulis promiserunt. At post occupatam Italiam non potuit facile veritas latere; itaque non legati tantum Carolini sed & Carolus ipse factus est tardior in dono illo secundum omnes condiciones integrè praestando. Ex quo Carolo dignitas Caesarea obtigit, videntur ejus Missi jura veterum Caesarum in domini sui usum exegisse. Quae res cum summe esset Papis invisa, illi ad tabulas Pipinianas tanquam ad sacram anchoram confugerunt.

Sed de omni hoc negotio libro de Germanorum Imperio Romano latius est agendum. Nunc ad singulas Epistolas nostras non nihil notabimus. Non nihil inquam. Multa enim commentari ad literas adeo barbaras non videtur fore pretium operae. Eoque ne quidem voces barbaras quae passim occurrunt explicabimus. Quod alias haud difficile est factu post edita P. Pithoei & Frid. Lindenbrogij optima sanè & utilissima glossaria Latino-barbara, postq; nuperum laborē numquam satis laudandi Gerardi Joannis Vossij de vitis emendati sermonis. Satis nobis fuerit si ex historia lucem aliquam attulerimus.

Ad Epistolam I.

De Accusatoribus) Semel monendum est, etsi nemini non pateat, sum maria vel inscriptiones epistolarum ineptas esse & à rudi manu, non minus atque literas ipsas. Argumentum autem epistolæ primæ hoc est. Nullos non legatos iudiciorum habendorum ergo, ex more regio Franco, Romam & in alias terras, Papæ dono Pipini & Caroli subditas, transmissos, videtur Leo apud Cæsarem accusasse: quasi scilicet jura Papalia illi contra quam tabulis Pipiniana & Carolina donationis erat cautum, læsissent. Illas perpetuas querelas agrè tulit Carolus, eo que non dissimulans indignationem scripserat; sese neminem invenire qui Papæ placeat, neminem non detractare legationis munus; & quæ alia in his literis ipse Leo recenset. Ut illam Cæsaris indignationem leniret, epistolam hanc Papa exaravit. Annum scriptiois haud certò licet definire. Per autem fit verosimile Carolum commotum fuisse epistolâ Leonis quæ nobis est ultimâ, & legatione ista quam simul tum miserat Leo ad Carolum accusatum Cæsareos Missos. Ut proinde decima hanc epistolam præcesserit. Etenim statim initio fit hic mentio reditus Missorum Leonis ex aulâ Cæsaris. A quibus accusatos fuisse Missos Cæsaris facile liquet ex responso Caroli, cuius summam epistola hæc recitat. Cum autem ex epistolâ quinta colligere sit Missos Cæsareos adhuc anno 808 à Leone delatos esse, eodem vero anno, vel certè sequente, diffidij hujus componendi causâ, Pipinus rex Romam iter voluerit suscipere, quod indicat epistola sexta, verosimile autem non sit, post negotium compositum denuo camerinam hanc à Leone commotam esse: omnino suspicor primam hanc epistolam

AD EPISTOLAS LEONIS.

Iam scriptam esse anno 807 penè decurso. Verùm hæc conjectura tantum est: quæ cum sit de re levi, per me licet quo loco eam quisque habeat.

Leo Episcopus) Non soli Cæsareo honori datum hoc est à Leone, quod nomen suum omnibus in literis post Cæsareum collocaverit. Idem enim factum est in toto volumine à Gretzero edito, quarum literarum aliqua ad Carolum Martellum & Pipinum nulla regia dignitate adhuc ornatos sunt exarata. Ex more scilicet prisco adhuc supererant Romæ reliquæ humilis observantiæ, qua olim cum alijs Episcopi tum etiâ ipsimet Papæ reges gentiû & τὰς ὑπερέχοντας promiscuè omnes venerabantur. A quo cultu paulo post Carolum passim recessum est, partim præ superstitione ipsorum regû & Cæsarum, partim verò quod opibus aucti jam Episcopi spernerent dominorû gratiam. Lectu digna sunt verba ipsius Ludovici Pij ad Episcopos, quæ habentur l. 5. capit. c. 222. *Volumus vos scire voluntatem nostram: quod nos parati sumus vos adjuvare ubicumq; necesse est, ut ministerium vestrum adimplere valeatis. Simulque vos admonemus, ut propter humilitatem nostram & obedientiam, quam monitis vestris propter Dei timorem exhibemus, honorem nobis à Deo concessum conservetis, sicut antecessores vestri nostris antecessoribus fecerunt.* Et tamen hic est ille Pius Ludovicus de quo canit Otho Viterbiensis in pantheo:

*Carolus egregium genuit regem Ludovicum,
Quem Deus almificum sibi confirmavit amicum,
Lege sua clerus iure vocatur herus.
Hic pater Ecclesiam vario prævenit honore,
Veste, domo, Cere, cuius fuit aucta favore,
Iure suo legitur grandis ubique fore.*

HERMANNI CONRINGII NOTAE

Hic proprias habitare domos, equitesq; fovet.

Nos facit & veste varia priscas, nitere,

Nisus & accipiter hac quoque lege sedet.

Talus honor clero nisi Casare dante veniret,

Grande genus Comitum cleri iuga nulla subiret;

Rustica ne fieret nobilitate viget.

Quantum Papæ in epistolis scribendis ab hac Leonis humilitate post recesserint nemini est ignotum. Conferantur epistolæ Adriani ad Fridericum I quas recitat Otto Frisingensis l. I. & Radevicus l. 2. Adriano autem cum paria faceret Fridericus (nomen sc. suum Pontificio præponens singularis numeri dictionibus adhibitis) quantum incanduerit Papa discere est ex Radevici c. 18. & 19.

Remeantes ad nos fidelissimi missi nostri) ut ante diximus, videtur loqui de illis qui cum epistola decima ad Carolum abierunt.

Querere à vobis auxilium) Fortè contra ipsum Leonem nonnulli Missos Cæsareos imploraverant. Nam & Romanos complures ægrè Leonis imperium tulisse, indicat non tantum illa conspiratio quæ adversus Leonem coijt anno 899, quando coram Carolo adhuc Patricio ab objectis criminibus solemniter se juramento purgare coactus est, verum & altera quæ narrant Annales Francici anno 815: *Allatum est quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem Papam in ipsa urbe Roma conspirasse, ac deinde cum huius causæ iudiciū ad Pontificem delatū esset, omnes illius factionis auctores ipsius iussu fuisse trucidatos.* Item quod eodem anno contigisse ijdē Annales narrant. *Cum Romani Leonem Papam ægritudine decubuisse viderent, collecta manu omnia prædia, quæ in singularum civitatum ditionibus noviter extruxerat, primo diripiunt, deinde immisso igne cremant, tum Romam nec statuum &*
que

AD EPISTOLAS LEONIS.

que sibi crepta querebantur violentè auferre. Vt cumq; verò Leo iudicio fuerit absolutus, fortè tamen non fuit extra omnem culpam. De Lothario enim à Patre Ludovico Pio Romam missio ijdē Annales hæc habent anno 824: *Statim populi Romani, jamdudum quorundam præsulum perveritate depravatum, ita correxit, ut omnes qui rerum suarum direptione graviter fuerant desolati, de restitutione bonorum suorum, magnificè essent consolati.* Inter Leonis obitum & hunc primum Eugenij annum vix decem anni intercedunt, nec præter Stephanum & Paschalem quisquam fuit Præsulum alius; non potuit itaque tum status populi Romani jamdudum quorundam præsulum perveritate fuisse depravatus, nisi ipsemet etiam Leo peccasset.

Missum vestrum dirigite) Hoc fortassis à Carolo est factum, ablegato in Italiam Helmengaudo Comite. Cujus rei fit mentio epist. v.

In causis S. Petri) Similium locutionum plenæ sunt literæ omnes, etiam Gretzerianæ. Scilicet ille qui dum viveret aurum & argentum non habebat, qui Simoni pecuniam ultrò offerenti respondit: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri;* ille inquam nunc æterna gaudens in coelis vitâ pinguiâ possidet in terris patrimonia & regiam potentiam, utq; illa magis magisque acquirat, reges & principes causam suam jubet agere, promissâ illis cælesti beatitudine nullo aliâs ære mercabili. Vide epistolâ S. Petri nomine à Stephano Papa conscriptam ad regem Pipinum, apud ipsum Baronium anno 755, & in volumine Gretzeriano n. 3. ac detestare impietatem.

Ad Epistolam II.

Quæ sub finem epistolæ narrantur de Michaële Imperatore

HERMANNI CONRINGII NOTAE

ratore Constantinopolitano, satis indicant eam scriptam esse anno 813. Diferte porò in ipsis literis indicatur scriptio- nis tempus, Indictionis nempe septimæ, tertius Iduum Novembrium.

Gregorij Patricij Siciliensis) Notum est Siciliam illâ ætate etiamnum in ditidne fuisse Imperatoris Constantino- politani, & per Patricios administratam, donec & illam & omnem Calabriam Sarraceni occuparunt circa annum 827. Quod quemadmodum fuerit factum narrat Ioannes Curopalata & ex eo Georgius Cedrenus. Vigebat autè hoc tempore inter Carolum & Græcos pax, qualis Nicephoro Imperatore erat composita anno 810, & confirmata anno 812 cum Michaële, cui præter opinionem nunc successer- rat Leo Armenus. Itaque licuit Carolo literas dare ad Patricium Siciliæ, illi autem Patricio, nondum accepta no- vi Imperatoris mente, respondere non licuit.

Sarracenorum Misis) Fuerunt illi ex Sarracenis Africa- nis, quibus proprius erat præfectus comiter tantum obser- vans Chalifam Bagdadensem. De pactis vero illis in- duciis alibi fortassis nihil legitur. Sarracenos Hispanos his induciis non teneri haud mirum est: fuerunt enim illi quasi sui juris tantum non semper. quod Hispanicarum re- rum scriptores nos docent.

Nam & hoc nunciavit nobis) Rem cum primis me- morabilem narrat Papa, sed fide admodum suspecta. Vero- similis est quod Annales Francici de Sarracenis Maurita- niæ memorant: *Sardiniam quoque aggressi, commissoque bello cum eis, pulsi ac victi & multis suorum amissis recesserunt.* Quod cum Papæ narratione conveniat nihil hoc anno ab aliis memoratur; sed præcedente anno notarunt Annales Francici de classe Sarracenicæ Africana: *Hæc classis par-*

tim

AD EPISTOLAS LEONIS.

tim in Corsicam partim in Sardiniam venerat, peneq; tota dele- ta est: quod fortassis factum vi tempestatum. Quæ Leo itaque narrat hoc anno 813 contigisse, fabulis sunt similia.

Michæl Imperator) Rem hanc omnem, utque Michaëli successerit Leo Armenus, prolixius narrant Græci Historici Cedrenus & Theophanes ab Anastasio Bibliothecario versò. Breviter Annales Francici: *Michæl Imperator Bulgaros ap- petens bello haud prosperis successibus utitur: ac proinde domum reversus monachus efficitur: in cuius locum Leo Papæ filius Im- perator constituitur.* Quæ Theophanis narrationi quam Cedreni sunt propiora. Facta autem hæc sunt V Id. Iulij teste Theophane: & tamen mense Novembri demum, ut recenter audita, narrantur à Leone. Ad eò rarò tum na- ves & certi nuncij ex longinquis regionibus ultrò citroque com- meabant.

Ad Epistolam III.

Hæc epistola num anno 812 aut anno 813 scripta sit, difficile est definire. Alterutro tamen factum sit necessum est. Narrat enim Michaëlis Imperatoris auspicijs gesta ad- versus Sarracenos Africanos. Suspicio scriptam anno 812. Sequentem enim annis Annalibus Francorum Sar- raceni illi *Centum cellas Tuscia civitatem & Niceam provincia Narbonensis vastaverunt.* Hæc literæ verò, omnia salva & il- lusa existere, deprædicant. Porro ijdem Annales memo- rant, vagatam anno 812 *famam classis de Africa & Hispaniâ ad vastandam Italiam venturae,* eoque Pipini regis filium Bern- hartum illuc à Carolo avo missum; classem autem non in Italiam sed *partim in Corsicam partim in Sardinia* appulisse, & *quidem hæc totam fuisse deletam.* Papa autè hic narrat famam

F

fuisse

HERMANNI CONRINGII NOTAE

fuisse classis Sarracenicæ Siciliam vastaturæ. Cæterum quæ in epistola narrantur frustra fortè in alijs scriptoribus hodie quæsi veris. Equidem nihil habeo quo narratio possit multum illustrari. Neque enim minutias sectari operæ est pretium.

Ad Epistolam IV.

Indubie scripta est hæc epistola anno 813 & quidem non multò post eam quæ in nostro hoc libello est secunda, ceu patet ex ipso initio. Aut fallunt verò nos Græcorum historia quæ hodie superant, aut Græculi illi bono Leoni mera mendacia narraverunt, eo que fabulas narravit Papa. Neque enim vel Theophanes vel Cedrenus vel Græcorum alius aliquis horribile ejusmodi facinus narrant, tanti momenti rem haud temere tacituri. Imo diserte Theophanes, qui isto tempore vixit Constantinopoli, de Procopia scribit: *Audita hujus (Leonis) acclamatione Michael ad oratorium Phari accurrens una cum Procopia & natis suis, de tonsis capillis monastica induit vestimenta, quintà Idus Julij sexta Indictione.* Ex Cedreno constat, Leonem ubi Imperio est positus non esse passum Michaëlem cum conjugè Procopia & liberis Constantinopoli in monasterio degere, sed omnibus in Insulam Protam relegatis, Theophilaetum & Ignatium majores natu filios jussisse castrari.

Constantinus) Hujus nullam reperio memoriam. Ab alio verò Pseudo Constantino Leonem tandem omninè esse potestate exutum narrat ejus successor Michael Balbus *epistola ad Ludovic. Pium*, quâ anno 824 recitat Baronius.

Nicephorum) Hic est ille Tarasij successor, qui in exilium postea pulsus à Leone Armeniaco Cæsare Constantinopolitano, confessoris nomen accepit. Hoc titulo enim hodieque leguntur quædam ejus constitutiones synodicae

Invis

AD EPISTOLAS LEONIS

Juris Græco Romani tom. 1. l. 3. Superest ejusdem epistola Synodica ad Leonem III nostrum Papam Romanum nescio quâ occasione actis concilij Ephesini Oecumenici adjuncta. Quam Latine à sese verlam Theodorus Peltanus *tom. V. Act. or. concilij illius c. 23.* interuit: Græce cum eodem Concilio ex bibliotheca Reuchlinianâ primus edidit Hieronymus Commelinus anno 1591: Latine denique sed ex veteri versione à Frontone Ducaeo interpolatâ exhibuit celeberrimus Annalium Ecclesiasticorum conditor Baronius anno 811; exquisito sanè usus judicio, cum Peltano perperam visum fuisset missam hanc epistolam ad Leonem II. Index Patriarcharum Constantinopolitanorum qui habetur *l. 4. tom. 1. Juris Græco Romani* de Nicephoro hoc ita habet, interprete doctissimo Leonclavio: *Nicephorus ex secretario factus monachus, sub eiusdem Nicephori Aug. & Stauracij & Michaëlis & Armenij Leonis Imperio, pontificatum gessit annos 9, ab hoc impio Leone pulsus.*

VII. Kl. Decembr.) Hæc itaq; omnium epistolarum est novissima, nec multum ante obitum Caroli exarata, utpote qui decesserit sequentis anni v Kal. Febr. ut accuratè notant Annales.

Ad Epistolam V.

Ex ijs, quæ hîc memorantur de Ardulphi regis Nordhumborum exilio & in Franciam adventu, perspicuum est, epistolam hanc esse scriptam anno 808, & quidem nonnihil post festum Paschale. Etenim ex Annalibus Francicis constat Ardulphum ad Carolum confugisse, quum ille Noviomagi moraretur quadragesimale jejunium celebrans: ipsa porro hæc epistola meminit in embolimo dominici diei ad palmas; nondum autè Romam advenerat Ardulphus

F 2

rex

HERMANNI CONRINGII NOTAE

rex quo tempore hæc exarata est. Argumentum epistolæ est varium.

Explere verbis) Prior epistolæ pars pertinet ad dissidium illud inter Missos Cæsareos & Papam. Ut enim ad epistolam primam jam notavimus, videtur Carolus ex consilio Leonis ablegasse Romam Helmengaudum & Hunfridum Comites qui in omnia coram inquirerent. Cum itaque horum narratione placatior factus Carolus literas ad Leonem magis benevolas misisset, Leo exhilaratus in hæc nunc verba prorumpit.

Sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia) Iam tum videlicet familiare fuit Papis magnifico illo nomine, quæque propriè universali per omnem orbem diffusæ Ecclesiæ convenit, curiã suã quæ Romæ est designare. Exempla plurima passim etiam alibi reperias, cum primis in epistolis Grezzerianis. Quantum autem hoc valuerit ad augendam Pontificum venerationem, quis ignorat?

Nostra pusillanimitati subditus) In barbaro sermone notandum est argutum scilicet entymema illud: Carolo idè omnia feliciter succedere quod obsequatur Pontifici. Vetus nimirum, non autem hodiè primum natum est, curiæ Romanæ illud sacrum *σέρισμα*. Fecerunt postea & alij clerici illud suum. Quantum absit autem à vero aliàs ostendimus pluribus. Ioannis Angliæ regis qui regnum suum Papæ donaverat hæc vox fuit: *Postquam Deo reconciliatus me ac mea regna, proh dolor! Romana subieci Ecclesia, nulla mihi prospera sed contraria omnia advenerunt.*

Helmengaudus Comes) Illi socium fuisse darum Hunfridum significat embolimus. Videtur autem Helmengaudus ille esse qui cum Iesse Ambianensi Episcopo anno 892 pacis constituendæ ergo Constantinopolim à Carolo ad

AD EPISTOLAS LEONIS.

ad Irenen fuit ablegatus, quod memorant Annales Francici.

Per distractionem causarum tollerent) Videntur Missi Cæsarij omnem multam pecuniariam in fiscum Cæsarium transfuisse, observantes nimirum morem per omne Francorum regnum usitatum quo integer bannus dominicus, & freda (itã loquebantur) cedebat fisco. Aliter postea videtur fuisse inter Cæsare & Papam conventum. Ita enim loquitur appendix Eutropiana: *Compositiones, quæ solebant à malefactoribus solvi aequaliter dividebantur Misso Imperatoris & Apostolici, Si autem talis culpa erat, ut res scelerata fisco publico subderetur, non ad Ecclesiasticam transibat subiectionem, nisi per donativum Imperiale preceptum.*

Ecclesia tranquilla & pacifica) Scilicet pax Ecclesiæ sita est in tranquilla possessione divitiarum, arcium, urbium & opimorum latifundiorum, & quidem modò bene adeo agatur, cum curia Romanã salva res est.

Iuret Melicerta perisse

Frontem de rebus.

Pacem Ecclesiæ datã melior ætas dixit, factã Christianis liberã Deum ex Christi precepto colendi potestate. Vocum mutata pristina significatio, quã sapienter Catoni habitum fuit argumentum mutatæ reipublicæ!

Circa Missum nostrum) Is videtur fuisse Adolphus ille, de quo conquestum fuisse Carolum intelligere est ex epistolâ iux. Euntem videlicet in Britanniam multis beneficijs magnoque honore affecerat Carolus: quod autem in reditu infalutato Carolo quasi fugã celeri sese subduxisset id male illum habuit.

Eardulphus rex) Eardulphus aut Ardulphus rex Northumbriorum regno à suis pulsus confugerat ad Carolum,

HERMANNI CONRINGII NOTAE

Noviomagi tunc quadragesimale jejunium celebrantem, inde Romam petiturus. Ejus fortunam & adventum Leoni Carolus nunciaverat. Summam totius rei hinc verbis narrant Annales Francici, quos solos etiam Baronius auctores sequitur: *Interea Rex Nordhumbrorum de Britannia insula nomine Ardulfo, regno & patria pulsus, ad Imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit, & patefacto adventu sui negotio Romam proficiscitur. Romaque rediens per legatos Romani Pontificis, & domini Imperatoris in regnum suum reducitur. Praerat ea tempestate Ecclesia Romana Leo III. cuius legatus ad Britanniam directus est Adolphus diaconus de ipsa Britannia Saxo, & cum ipso ab Imperatore missi duo Abbates Rathfridus Notarius & Nantherius Abbas de S. Othmaro. Cum verba haec etiam Baronius recitasset statim addit: Sequitur est absq; obstaculo eius in regnum restitutio, nefas omnes ducentes non parere Romano Pontifici atque tanto Imperatori resistere. Item: Vidisti in his Romani Pontificis auctoritatem factis expressam? Quod enim non satis sibi suppetere iuris intelligeret Imperator regem eiectum in regnum pristinum restituere, ab ipso Pontifice Romano id praestari posse sciens, dimittit ipsum regem regno privatum Romam ad Leonem Pontificem, cuius auctoritate restituatur in regnum. Vidisti pariter quantum Papa detulerint Angli licet furore perciti & regnandi cupidine inflammati, ut expulsam a se regem cum restitutum auctoritate Pontificis recipere non detractarint, sed statim paruerint? Conferat vero quilibet aequi iudicii lector Annales hosce veteres & novos, libereque censeat num dicant idem, cum tamen veterum fide unice novi illi nitantur. Nimirum quod illi ajunt per legatos Papae & Caesaris reductum in regnum Ardulphum, id hi narrant factum ad mandatum unius Papae & in gratiam Caesaris. Quasi legati Papales non soleant tumultus componere nisi iussa Papae dele-*

AD EPISTOLAS LEONIS.

deferendo. Quasi item Caroli in sedandis hisce turbis per exigua fuerit habita ratio. Sed hoc penè est institutum novorum Annalium istorum, omnia ex Hildebrandino ingenio narrare. Fateor tamen cum primis Anglos superstitiose etiam tum veneratos esse Pontifices Romanos.

Per Saxones) Saxones Britannici intelliguntur. Id nomen in Britannia magis magisque post exolevit heptarchiam Saxonica in Anglicanam monarchiam commutata per regem Egbertum, & edicti publici auctoritate uno tantum recepto nomine Englelonth.

Eanbaldus Arch. & Canulfus rex atq; VVado) Canulfus rex fuit Merciorum in Britannia. Offa successor. Extat hujus epistola ad Leonem III Papam l. r. c. 12. contin. de gestis Anglor. quam Baronius quoq; recitat anno 796. In ea epistola fit mentio VVadae Abbatis qui idem fortassis est cum hoc VVadone. Eanbaldus forte est ille Eboracensis Archiepiscopus ad quem supersunt literae Alcuini. Videtur quo tempore haec literae sunt scriptae durasse adhuc contentione, quam Leoni jam anno 796 Koenulphus rex & alij detulerant de Dorovernensi vel Cantuariensi Archiepiscopatu, in gratiam Offa regis per Adrianum Papam quondam abrogato, quem Mercij omnes creato novo Archiepiscopo Ethelardo volebant in integrum restitui, Leo quoque iterum auctoritate sua confirmaverat. Quantum sane conijcere est opposuit sese regi Archiepiscopus Eboracensis.

Ad Embolimum.

Iesse Episcopus) Fuit ille Episcopus Ambianensis, functus legatione Constantinopolitanam ad Irenem Imperatricem anno 802 ceu memorant Annales Francici.

HERMANNI CONRINGII NOTAE

De sacerdotibus causis) Rari exempli est hoc Leonis factum. Crimina sanè Episcoporum ad reges deferre qui post coepit non patitur Hildebrandismus.

Ad Epistolam VI.

Hanc epistolam eodem quo prior anno scriptam esse verosimile mihi facit mentio illa duorum Caroli legatorum Helmengaudi & Hunfridi Comitum, & Pipini regis Romam ituri componendi dissidij ergò quod inter Papam & Caesaris Missos versabatur. Accedit quod hic unus annus à bello quod cum Græcis Pipino intercedebat ita fuerit vacuus ut Romam ille excurrere potuerit. Penè dixerim eodem cum priore etiam mense & die hanc epistolam esse scriptam. Familiare sanè tum fuit tum multas literas mittere, exigente id negotiorum multitudine.

Largiflua tua munificentia) Eginhartus in vita Caroli: Colebat præ cæteris sacris & venerabilibus locis apud Romam Ecclesiam beati Petri Apostoli, in cuius donaria magna vis pecuniarum auri quam argenti, nec non & gemmarum ab illo congesta est: multa & innumera Pontificibus munera missa. Gregorius VII Papa l. 8. ep. ult. scribit Carolum quotannis mille & duascentas libras in servitium Apostolicæ sedis collegisse. Sed huic homini quis velit credere? Conatus nimirum est ab omnibus Galliarum domibus isthoc argumento quotannis denarium elicere.

Pipinus rex) Filius Caroli natu major, à patre anno 781 constitutus Langobardiæ rex, mortuus anno 810 ante patrem: ut est in Annalibus.

Ut Pax & concordia) Verosimile est venisse Pipinum, atque ita omnia confecta esse. Forte in illas tum leges conventum fuit quas memorat Eutropij Appendix.

Insula

AD EPISTOLAS LEONIS.

Insula Corsica) Hanc Insulam à Carolo donatam esse Papis etiam Anastasius refert *in vita Adriani*. Leo Ostiensis recenset illam inter munera Pipini. Cum tamen Anastasius *in vita Stephani*, dona Pipini nominatim recensens Corsicæ non meminerit, heic quoq; Leo Papa ad unius Caroli donum provocet, verosimile est Leonem & falli & alios fallere. Fuit autem Corsica hæc ætate perpetuis deprædationibus Sarracenorum exposita, imò in illorum potestate: eoque non mirum est hanc Leonis petitionem effectu caruisse. Hodie tamen Papali auctoritate eam possidere Genuenses creduntur.

Ad Epistolam VII.

Argumentum huius unius epistolæ verè dignum est Episcopo. Tantum mireris à Carolo peritissimo rerum sacrarum principe quæstiones hæc Leoni propositas. Certè haud difficile ipsimet fuit quas hic legimus solutiones in Hieronymo invenire. Extat enim epistola Caroli ad Albinum juncta libro Albini *de divinis officiis*, qua ita ad sacras quæstiones & dubia rogatus ab Albino respondet, ut luculente appareat ejus in divinis rebus excellens peritia. Theganus in vita Caroli: *Postquam divisi fuerant* (Carolus & Ludovicus filius) *nihil aliud coepit agere, nisi in orationibus & elemosynis vacare, & libros corrigere. nam quatuor Evangelia Christi, qua intitulantur nomine Matthæi Marci Lucæ Ioannis, in ultimo ante obitus sui diem, cum Græcis & Syris optimè correxerat.*

De captu atq; redemptione Adolphi) Hæc non patiuntur nos ignorare annum scriptionis. In hæc enim verba loquuntur Annales Francici anno 809: *Postquam Arduulfus rex Nordhumbroborum reductus est in regnum suum & legati Imperatoris atq; Pontificis reversi sunt, unus ex ijs, Adolphus videlicet diaconus, à piratis captus est, cæteris sine periculo trajicientibus,*

G

tibus,

in divinis f
t9 Carol

HERMANNI CONRINGII NOTAE

tibus, ductusq; ab ijs in Britanniam à quodam Canu's regis homine redemptus est, Romamq; reversus.

Nazareus enim sanctus) Rectius hic Hieronymi iste locus legitur quam in ipsis emendatissimis codicibus à Mariano Victorio editis. Deest enim in illis vocula enim.

Quæritur quomodo velut ab uno Isaiâ) In Hieronymi codicibus rectius nunc legitur: quærit. Est autem sermo de Prophyrio qui opere contra Christianos etiam hoc dictum Marci fuerat criminatus. Illud opus quindecim libros comprehendisse testatur Suidas. Baronius conatur persuadere anno 304 impium illud Porphyrij opus prodijisse in lucem, quod Lactantius testetur Philosophum quendam non infimæ notæ isto tempore tres contra Christianos libros edidisse. Fugit autem ratio virum industrium. Alium enim fuisse hunc philosophum à Porphyrio vel ex eo liquet, quod Porphyrius quindecim libros hic tantum tres, hic Nicomediæ Porphyrius in Sicilia (quod passim Eusebius & Hieronymus testantur) sua conscripserit. Constat porro responsum esse Porphyrianis criminationibus jam tum à Methodio Tyri Episcopo. Hic autem, ut Hieronymus loquitur l. de scriptor. c. 83: ad extremum novissimæ persecutionis (sub Diocletiano) sive ut alij affirmant (quibus cum etiam facit Suidas) sub Decio & Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus est. Porro disertè Eunapius refert floruisse Porphyriū Gallieno, Claudio, Aureliano, Tacito, Proboq; Imperatoribus: Suidas etiam ait: γεγονὰς Ἰππὶ τῶν χρόνων Ἀυρηλιανῆ καὶ Ἀδριανῆ ἕως Διοκλητιανῆ τῆ βασιλείας. Possit itaque etiam hinc videri errare Baronium. At errasse ipsum Eunapium & Suidam liquet ex vita Plotini à Porphyrio ipso conscriptâ. Meminit enim anni ætatis suæ sexagesimi octavi, qui est Christi 298 & Diocletiani decimus quintus.

AD EPISTOLAS LEONIS.

quintus. Fatetur etiam Eunapius Porphyrium extremam senectam attigisse. At primus Diocletiani annus est tantum Porphyrij quinquagesimus tertius ceu patet ex vita Plotini. Sed Eunapiū quis excusaverit quod dubitanter sit locutus. Baronij autè illa hallucinatio gemina est alteri illi qua verba Hieronymi in Chronicis de Publilio Optatiano Porphyrio, de hoc philosopho gentili interpretatur ad annū 325.

De quo Ecclesiastici viri) In codice Hieronymi rectius legitur cui. Porphyrio nimirum responderunt Methodius libris duobus, Eusebius triginta, Apollinaris totidem. Ipse tamen Hieronymus hoc loco aliter respondet & melius: Nos nomen Esaiæ putamus additum scriptorum vitio quod & in aliis locis probare possumus, aut certè de diversis testimoniis scripturarum unum corpus effectum. Videtur sanè Hieronymus Ecclesiasticorū illorū responsa non multū adeo æstimasse. Nam & præfatione in Daniele ita loquitur: Quæ autem ex hoc Propheta, imò contra hunc Prophetam Porphyrius objiciat, testes sunt Methodius, Eusebius & Apollinaris, qui multis versuum millibus eius vesania respondentes nescio an curioso lectori satisfecerunt. Non tantum autem impium illud Porphyrij scriptum verum etiam quæ huic fuerunt opposita videntur periisse. Quod tamen de Porphyriano volumine non est cur miremur, accedente ad odium & detestationem omnium Christianorum edicto Theodosij Imperatoris de omnibus ejus exemplaribus concremandis, quod habetur tomo quinto cap. 19. Actorum concilij Ephesini edit. Peltani.

In capitulo centesimo septuagesimo) Hæc sectio prorsus alia est ab ea quæ nunc passim est recepta. Locus enim iste Esaiæ nunc legitur c. 64. vers. 4. Sixtus Senensis vir doctus

HERMANNI CONRINGII NOTAE

l. 3. Biblioth. sanctæ scribit: Apud Latinos qui ab anno salutis nostræ mille simo usq; in hæc nostra tempora fuerunt, duplicem invenio capitum enumerationem. Alteram ut vetustiore ita numerosiore, juxta quam Evangelium Matthæi in vetustis etiam impressis codicibus continet capita nonaginta quatuor, Evangelium Lucae capita centum & septem, Epistola ad Romanos capita quinquaginta. Alteram posteriorem, quam nunc in vulgatis biblijs habemus, contractiorem & paucioribus capitibus comprehensam; cujus numerali citatione usi sunt in commentarijs suis Hugo presbyter cardinalis, Alexander Alensis, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Bonaventura ac ceteri usq; in hanc diem scholastici theologi. Visus etiam mihi est impressus codex veterem novamque sectionem referens. In quo prima ad Corinthios 73, posterior 27 capitula veteri more numerabat; Evangelium Lucae & Epistola ad Romanos tot capitulis constabat, quot observavit Sixtus. Vetustiore illam Leoni etiam fuisse ad manum, manifestum est. Recentior illa nostra à nonnullis Stephano Longtono Anglo auctori adscribitur.

B. Ambrosius). In eâ quæ hodie Ambrosiano nomine circumfertur nihil hujus legere est, sed disertè verba illa Apostoli ex Esaia esse desumpta traditur. Quo ipso confirmatur quod non Erasmo tantum sed etiam Bellarmino ipsi alijsq; est visum, commentaria quæ in Epistolas Pauli Ambrosio nunc tribuuntur; mentiri nomen. Baronius tomo v. Annal. anno 397. n. 38: *Expositio Ambrosii in omnes Pauli Epistolas Castodori tempore desiderari cepta erat, sed planè deperditâ, in eius locum alterius auctoris opus apparet fuisse suppositum.* Verosimile fit Leonem genuino Ambrosij opere esse usum. Ceterum jam dudum ante Ambrosium Origenes tract. 35. in Matthæum scripserat: *Apostolus scripturas quasdam secre-*

tas

AD EPISTOLAS LEONIS.

tas profert. Sicut dicit alicubi: *Quod oculus non vidit nec auris audivit.* In nullo enim canonico libro hoc positum invenitur nisi in *secretis Helia prophetæ.* Forte autem nec illi tractatus sunt Origenis. Hieronymus ad c. 64. Esaia: *Apocryphorum deliramenta conticeant, quæ ex occasione huius testimonij ingeruntur Ecclesijs Christi.* De quibus vere dici potest, quod *sedeat diabolus in insidijs cum divitibus in apocryphis, ut interficiat innocentem: & iterum, insidiatur in apocrypho quasi leo in speluncâ suâ, insidiatur ut rapiat pauperem.* Ascensio enim Esaia, & Apocalypsis Helia hoc habent testimonium. Et per hanc occasionem multaque huiusmodi Hispaniarum & Lusitanæ deceptæ sunt muliercula.

Ad Epistolam II X.

Adolfus diaconus legatus Leonis cum legato Eanbaldf Archiepiscopi ex Britannia in Galliam profecti spem fecerant Carolo sui adventus, & tamen ipso insalutato Romam discesserant. Id stomachatus Carolus, delusum sese existimans, aut eos ita properasse quo Ardulfum regem prævenerent causæ illius nocituri, per literas apud Papam graviter conquestus fuit. Hoc illorum factum excusat nunc Leo & veniam petit à Carolo. Indubie itaque & hæc epistola scripta est anno 808 quando Ardulfus rex Romam abiit.

Ipsè populus acquisitionis) Anglos auspicijs Gregorij Magni id nominis primi Papæ ad Christianam fidem curâ Augustini fuisse conversos notissimum in vulgus est.

Saxonia partibus) Etiam hæc intelligenda sunt de Saxoniâ transmarina: quam vocem tum fuisse in usu, voce Angliæ nondum receptâ, jam tum monuimus.

Ad Epistolam IX.

Fortunatus in locum Ioannis, occisi à Ioanne Duce Veneto,

G 3

neto,

HERMANNI CONRINGII NOTAE

neto, suffectus est Patriarcha Gradenſis anno 802, pallio à Leone Papa impetrato anno 803. quod poſt Sigonium ſcribit Baronius. Hunc Grado, propter bellum quod Carolo cum Græcis & Venetis intercedeſſet, exultantem commendaverat Papæ Carolus, quò Papæ conſenſu, durante bello, liceat illi Polanum Iſtriæ Episcopatum adminiſtrare. Aſſentitur Papa ſed nonnullis adjectis conditionibus. Hoc Epistolæ eſt argumentum. Quo anno ſcripta ſit difficile eſt definire. Conſtat tamen ex Annalibus bellum inter Græcos & Carolum in mari Adriatico cœpiſſe geri anno 806, pacem vero iterum cum Nicephoro conſtitutam anno 810 menſe octobri. Veriſimile eſt initio ſtatim belli de alio loco Fortunatum cogitare coactum eſſe.

Gradenſe Inſula) Hæc maris Adriatici Inſula juris tum Francici fuit. Non redditam illam Græcis, quando amicitia ergò ipsis Hiſtriæ Liburniæ & Dalmatiæ maritimæ urbes, teſte Eginharto, aut ipſæ etiam Venetiæ (quod ſcribunt annales Francici anno 810) ſunt conſeſſæ, liquet ex teſtamento Caroli apud Eginhartum, ubi inter metropolitanas urbes Carolini Imperij quinto loco Gradus recenſetur: patet etiam ex eo, quod ille Fortunatus Patriarcha anno 821 (ut memorant Annales) læſæ majeſtatis apud Ludovicum Pium fuerit accuſatus.

In Aquis palatio) Narrant Annales Francici Leonem anno 804, poſtquam cum Carolo Feſtum Domini natalitium in Carifiana villa celebraveſſet Aquasgrani ab eodem perductum eſſe. Ibi tum à Leone fanum *vis protus* eſſe conſecratum narratur in epistoſa quadã S. Ludgero adſcriptã apud Surium in *vit à Suiberti* tomo 2. die 1. Martij. De Aquilegienſi Eccleſiã quid tum fuerit conventum nuſquam invenio. Id certum

AD EPISTOLAS LEONIS.

certum eſt illius etiam Eccleſiæ *Thronus* fuiſſe tum non ſuo loco ſed in Foro Julij collocatam; quod ſæpe & quidem jam tum anno 729 obſervatum eſt Baronio. An forte actum fuit de negotio quod inter Aquilegienſem & Gradenſem Eccleſiam jam ab anno 729 verfabatur? Videndus de hæc lite omnino eſt Baronius loco ante laudato.

Ad Embolimum.

Neque de partibus Franciæ) Memorat Baronius anno 802. Fortunatum ad Carolum in Galliam profugum inde ejuſmodi diploma retuliſſe: *Concedit Carolus Imperator Augustus Fortunato Patriarcha Gradi, ut ipſe, ſacerdotes, ſervi & coloni eius in terra ſua, in Iſtria, Romaniolã, & Langobardia, & ubicunq; quietè degant; iubeat q; ut in poſſeſſionibus quibus ritè inveſtitus eſt, nullus index publicus iniuſtè ad cauſas audiendas, præda (lege freda) exigenda, manſiones (Baronius perperam mutat, manſos) aut paratas faciendas, iniuſtas reſtitutiones inquirendas, exactare audeat. Datum Idibus Auguſti.* Ab hoc vero Fortunato rebellantem adverſus Ludovicum Pium Pannoniæ inferioris ducem Liudevvitum fuiſſe clam adjutum, atque itã malam gratiam regno Francorum ab ipſo relatam hiſce verbis narrant Annales Francici anno 821: *Fortunatus Patriarcha Gradenſis cum à quodam præſbytero ſuo nomine Tiberio apud Imperatorem fuiſſet accuſatus, quod Liudevvitum ad perſeſverandum in perſidiã quæ ceperat hortaretur, eumque ad caſtella ſua munienda artifices & murarios mittendo iuvaret, & ob hoc ad palatium ire iuberetur, primò velut iuſſionem impleturus in Iſtriam proſectus eſt, inde ſimulato reditu ad Gradum civitatem, nullo ſuorum præter eos cum quibus hoc tractaverat ſuſpicante, nactus occaſionem clam navigavit.*

HERMANNI CONRINGII NOTAE

navigavit, veniensque Iaderam Dalmatiae civitatem Joanni praefecto provincia illius fuga sua causas aperuit, qui eum statim navi impositum Constantinopolim misit. Eiusdem Fortunati meminerunt Annales anno etiam 824: Rotomagum legatos Michaëlis Imperatoris sibi occurrere iussit Imperator: cum quibus & Fortunatus patriarcha Gradensis regressus ad eius praesentiam venit: sed legati Imperatoris literas & munera deferentes pacis confirmanda causa se missos esse dicentes, pro Fortunato nihil locuti sunt. In literis tamen Michaëlis Imperatoris, quas recitat Baronius, in numero legatorum penultimo loco collocatur Fortunatus Archiepiscopus Venetiae, qui sine dubio idem est cum nostro Gradensi.

Hildebaldi) Videtur intelligendus Archiepiscopus Colonienſis, cujus cum alibi tum in vita Suiberti apud Surium frequens est mentio. Ab Anastasio in vita huius Leonis, ubi scribitur Leoni itinere primo Germanico à Carolo obviam missum Hildevaldum Archiepiscopum, non alius item est accipiendus. Idem videtur esse qui primo loco subscripsit testamento Carolino apud Eginhartum.

Erchenbaldus) Huius meminerunt Annales Francici anno 801: Tunc ille misit Erchenbaldum notarium in Liguriam ad classem parandam.

Ad Epistolam X.

Hanc epistolam & praeposendam merito esse ipsi Epistolae primae, & videri scriptam anno 807 jam supra monuimus. Tota autem versatur in querelis de injuria
Leoni

AD EPISTOLAS LEONIS.

Leoni facta per Millos Caroli: ejusdem negotij ergo transmissis ad Carolum duobus legatis.

Cum benedictione beati Petri) Salutatio Papalis est scilicet benedictio ipsiusmet beati Apostoli. Fortè munusculum aliquod consecratum, qualia hodieque Roma mitti solent, facta permutatione ad exemplum Diomedis & Glauci, addiderat Leo.

Quamvis parva sint) χαλκῆα χρυσείων.

Angustias quas quotidie patimur) Leo angustias interpretatur quod immani cupiditati nondum esset satisfactus. S. Petrus autem ultrò & lato animo omnia reliquit.

Qui vos in suis utilitatibus defensores constituit) Scilicet ex re & utilitate gaudio coelesti fruētis sanctissimi Apostoli est, ut Papa hodiè sit dominus terrarum: constituit quoque Apostolus certos opum suarum defensores. Simili doctrina scitent Epistolae Gregerianae ad nauseam usque pij lectoris. Locum unum ex epistola VI I Stephani Papae ad Pipinum Carolum & Carolomanum placet adducere. Vobis multis jam devolutis temporibus hoc bonum opus reservatum est, ut per vos exaltetur Ecclesia, & suam princeps Apostolorum percipiat justitiam. Nullus meruit de vestris parentibus tale praefulgidum munus, sed vos praelegit & praecevit Deus ante tempora aeterna. Sicut scriptum est: quos praecevit & praedestinavit hos & vocavit, & quos vocavit illos & justificavit. Vocati estis. Iustitiam ipsi principi Apostolorum sub nimia festinatione facere studete: quia scriptum est, Fides ex operibus iustificatur. Alia ejusdem notae ex illo volumine, quod jure dixeris impiae & infrunitae mendicationis sterquilinum, adferre tædet.

Dignam retributionem) Stephanus Papa epist. 9: Illam vitam aeternam quam vobis B. Petrus pro sua causa & iustitia promissit, tot à mente & integro corde querite.

H

Nos pro

HERMANNI CONRINGII NOTAE

Nos pro causa negligentia ante tribunal Dei) Quasi is qui forte jure suo cedit, & patienter fert injuriam, coram tribunali Dei negligentiae debeat rationem reddere, eoque nomine successores suos Sanctissimus Apostolus sit accusaturus, is qui ad malorum tolerantiam multis adeo Christianos omnes hodieque per epistolas suas cohortatur.

Populi Dei) Populum nihil praeter solitum passum esse à legatis Caroli, ex ijs quae subjunguntur apparet. Papa itaque ipsemet est ille populus Dei.

Missos vestros) Alij igitur hi fuerint ab ijs qui iudicia exercuerunt.

De causa palatii Ravennatis) Extra controversiam omnia illius palatii fuerant olim juris Caesarei; eoq; videntur Missi Carolini iterum Caesari voluisse isthaec adrogare, mendacijs Paparum jam deprehensis.

Vicem ejusdem discipuli tenentes) Magnum mysterium latet in illa vicaria potestate. Dum enim creditur Papa Petri vicarius, omnia S. Petri nomine & auctoritate videtur agere, adeoque quod Papae datur aut committitur in Papam, id existimatur Petro dari & in ipsum Petrum committi. Quo profecto sacrosancta redditur Papae persona, magis quam si ille successor tantum audiat Petri in cathedra Episcopali. Non mirum itaque est hac vicarij voce Papas frequenter adeo usos. Caeterum hanc loquendi formulam tribus primis Ecclesiae seculis forte nemo usurpavit. Certè exemplū aliquod haud temere inveneris. Neq; enim huc facit quod Cyprianus cathedram Episcopalem Romanam cathedram Petri appellet: ita enim locutus est, non quod verè etiam tum Petrus illi cathedrae praesideret, sed quod aliquando eam tenuisset. Ne ex quarto

AD EPISTOLAS LEONIS.

quarto quidem seculo exemplū aliquod attuleris. Quinto tamen jam affectasse Papas hoc nomen certum est. Iam tū enim in Concilio Ephesino oecumenico legati Pontificij hisce vocibus usi sunt, quae leguntur *tomo 2. c. 16. ed. Peltani. Nulli dubium imò seculis omnibus notum est, sanctum beatissimumq; Petrum, Apostolorum principē & caput, fideiq; columnam, Ecclesiae catholicae fundamentum, à Domino nostro Iesu Christo Salvatore nostro humaniq; generis redemptore, caelestis regni claves accepisse, solvendiq; atq; ligandi potestate quā acceperat usum fuisse, nec nō per successores suos hucusq; semper vivere causasq; decernere, semperq; victurū esse. Huius itaq; ordinarius successor & vicarius sanctus beatissimusq; Papa & Episcopus noster nos suos pro se quasi vicarios ad hanc sanctam synodū misit. Ex eo sanè voces hae frequentius cum ab ipsis Papis tum ab alijs per assentationē, per superstitionem, jactae sunt. Recte autē Bellarminus l. 2. de Rom. Pontifice c. 17: Porro vicarius Petri dicitur summus Pontifex, quoniam sanctus Petrus adhuc vivit & gubernacula Ecclesiae non reliquit, ut ait Leo serm. 2. quia tamen S. Petrus non proprie fungitur munere pastoralis, sed meritis ac precibus suis Ecclesiam regit ac protegit, impropriae sunt illae locutiones & solum ob reverentiam B. Petri aliquando usurpatae. Hæc Bellarminus qui tamen non persuaserit, Papas sese noluisse haberi veros S. Petri vicarios. Revera autem ille vicariatus merum est *μορολόγειον*: utut hodieque ostentari illud subinde soleat in terrorem & Romanae sedis reverentiam. Hoc sanè uno nititur totum illud ipsiusmet Baronij, quo illa quae contra Siculam monarchiā disputavit in epistolā ad Philippum III Hispaniae regem defendere & excusare nō dubitavit. In his adversis (inquit) inde mihi ingens pars fiducia atq; est aucta securitas, quod jussu Petri comprobata, à Petro, ex ipsa sede Petri scripta ista nostra prodierint, absq; dubio in secula perman-*

de vicarij dicitur id
prim. sec. q. nono

HERMANNI CONRINGII NOTAE

permansura. Sto supra Petram, ob idq; securus & imperterritus.
Item: Noscant laici homines, quanto indecore, non sine offensa Catholica veritate, laica manus clavem scientiae, quam solius esse Petri catholica proficitur Ecclesia, arripuerit, ut iudicet atque damnet scripta, iussa imperata & calculo comprobata Romani Pontificis, cuius est auctoritatis solius iudicare probare vel condemnare cuiusvis scripta praesertim Ecclesiastica. Ecquis sanè non videt meras ineptias & inanes declamationes adferri à Baronio in tantum momenti negotio: nisi ponas S. Petrum vel divinitus locutum esse per Clementem VIII, vel verè vicariam potestatem illi commississe, ita ut vox Papæ vox Petri sit? Vereor autem, ut Baronius sibi persuaserit vel ipsum S. Petrum ita clavem scientiae olim tenuisse, ut extra fidei negotium errare nō potuerit: & tamen conatur ille Regi Philippo persuadere eam esse hodie Romani Papæ, novi illius Petri scilicet, divinam facultatem.

Quamvis verò illà Leonis tempestate, amaverint Papæ vicarij Petri audiri (quod in monumentis tum conscriptis frequenter est observare) post tamen, cum primis ubi illorum potentia per Hildebrandi conatus ad summum gradum pervenit, titulū hunc rarius usurpaverunt, malentibus illis vicarij Christi & ipsius Dei, imò Dij quidā in terris non existimari tantum sed & nominari. Non enim verum est, ambitiosos & impios hosce titulos ab adulatoribus profectos esse, & Papis quasi invitis obtrusos haecenus. Non obscure sanè jam Nicolaus .i. epistolā ad Michaëlem Imperatorem ipsum Dei nomen, atque ita auctoritatem excedentem humanæ conditionis vires, affectavit. His quippe verbis usus est, quæ tanquam sacri aliquid per Gratianum in Decretum relata, vim legis, volentibus ita Papis, acceperunt: *Satis evidenter ostenditur à seculari potestate*

AD EPISTOLAS LEONIS.

state nec ligari prorsus nec solvi posse Pontificem; quem constat à pio principe Constantino Deum appellatum: nec posse Deum ab hominibus iudicari certum est. Similiter Innocentius III. aliquoties in epistolis suis profitetur: se Deum vicem in terris tenere, & vinculum illud rati consummatique matrimonij, quod inter Episcopum creditur atq; Ecclesiā intercedere, non ut hominem sed tanquam Deum dissolvere, cū illos qui à Deo sunt conjuncti nō homo sed Deus possit separare. Videatur tantum l. i. epist. 326. & 336. ne quid dicam, quod hodieq; in glossa juris sui pariantur infame illud legi: *Dominus Deus noster Papa*; sive illud ab ipsa glossatoris Zenzelini, quod quidam negant, sive ab alia sit manu. Sed interfuit scilicet, ad clarius exprimendam populo illam, quam sibi demum post Leonem nostrum arrogarunt Papæ, in caelo & terris plusquam humanam potestatem, non tanquam Petri amplius sed Dei vicarios imò ipso Dei nomine ostentari. Cave enim sis, ut ea tantum ratione divinitatis appellationem affectaverint Papæ, quod & ipsi sint Dei ministri ad modum aliorum magistratum.

Possimus exorare clementiam) Quasi verò securè, h. e. bona conscientia, non licuisset id ipsum Deum orare, si Carolus non omni ex parte servasset promissum. At verò S. Apostolus Paulus nulla ejusmodi annexa conditione: iussit nos orare *pro regibus & quibus vis in eminentia constitutis, ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate*. Nominis sui avi Christianorum dixit olim Tertullianus simpliciter: *Nos pro salute Imperatorum Deum vocamus aeternum*. Item: *Precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum,*

HERM. CONR. NOTAE AD EPIST. LEONIS.

domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quaecunque hominis & Caesaris vota sunt. Hæc primi Christiani & Christianorum magistri. Verum novâ doctrina opus fuit ad novum & omni retrò tempore nemini auditum opus impetrandum, principatum nempe & dominatum secularem. Observandum autem unicè est: iisdem planè argumentis & reliquum clerum Occidentalis Ecclesiæ, felici Papæ exemplo edoctum, sibi quoque munivisse viam ad divitias summas & potentiam regiam. In primitiva Ecclesiâ ut ignorata fuit isthæc doctrina, ita & intra eleomosynas steterunt Christianorum oblationes.

CARO.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS.
CAPITVLARE
DE VILLIS SVIS.

CAPITVLARE CAROLI
Incipit Capitulare de Villis & Curtis
Imperatoris.

I. CAP.

Volumus ut Villæ nostræ quas ad opus nostrum seruiendum institutas habemus, sub integritate partibus nostris deserviant & non alijs hominibus.

II. Ut familia nostra bene conservata sit & à nemine in paupertate missa.

III. Ut non præsumant iudices nostram familiam in eorum servitium ponere; non coruadas non materiam cedere, nec aliud opus sibi facere cogant: & neque ulla dona ab ipsis accipiant, non caballum, non bovem, non vaccam, non porcum, non vervecem, non porcellum, non agnellum, nec aliam causam, nisi buticulas & ortum, poma, pullos, & ova.

IV. Si familia nostra partibus nostris aliquam fecerit fraudē de latrocinio aut alio neglecto, illud in caput componat, de reliquo verò pro lege recipiat disciplinā vapulando. Nisi tantum pro homicidio & incendio, unde feida exire potest. Ad reliquos autē homines, iustitiam eorum, qualem habuerint, reddere studeant, sicut lex est. Pro feida vero nostra, ut diximus, familia vapuletur. Franci autem qui in fiscis aut villis nostris commanent, quicquid commiserint secundum legem eorum emendare studeant, & quod pro feida dederint ad opus nostrum veniat, id est in peculio aut in alio pretio.

V. Quando iudices nostri labores nostros facere debent, seminare, aut arare, messes colligere, foenum secare, aut vindemiare, unusquisque in tempore laboris ad unumquemq; locum provideat ac instituere faciat, quomodo

DE VILLIS.

modo factum sit, ut bene salva sint. Si intra patriam non fuerit, aut in quali loco iudex venire non potuerit, missum bonum de familia nostra, aut alium hominem bene creditum causas nostras ad providendum dirigat, qualiter ad perfectum veniant; & iudex diligenter provideat, ut fidelem hominem transmittat ad hanc causam providendam.

VI. Volumus ut iudices nostri decimam ex omni conlaboratu pleniter donent ad ecclesias, quæ sunt in nostris fiscis: & ad alterius ecclesiam nostra decima data non fiat, nisi ubi antiquitus institutum fuit: & non alij clerici habeant ipsas ecclesias nisi nostri, aut de familia aut de capella nostra.

VII. Ut unusquisque iudex suum servitium pleniter perficiat, sicut ei fuerit denuntiatum; & si necessitas evenerit, quod plus servire debeat, tunc computare faciat, si servitium debeat multiplicare in noctes.

VIII. Ut iudices nostri vineas recipiant nostras, quæ de eorum sunt ministerio: & bene eas faciant: & ipsum vinum in bona mittant vascula, & diligenter providere faciant, quod nullo modo naufragium sit. Aliunde vinum peculiare comparando emere faciant; unde ad villas dominicas condirigere possint. Et quando quidem plus de ipso vino comparatum fuerit, quam ad villas nostras condirigendum mittei opus sit, nobis innotescat, ut nos commendemus, qualiter nostra fuerit exinde voluntas. Cippaticos etiam de vineis nostris ad opus nostrum mittere faciant. Censa de villis nostris quæ vinum debent in cellaria nostra mittant.

IX. Volumus ut unusquisque iudex in suo ministerio mensuram modiorum sextariorum, & siculas per sextaria octo, & corborum, eo tenere habeat sicut & in palatio habemus.

CAPITULARE CAROLI

X. Ut majores nostri & forestarii, poledrarii, cellularii, decani, telonarii, & ceteri ministeriales, ea faciant, & fogales donent de mansis eorum pro manuopera verò eorum ministeria bene provideant. Et qualiscunque major habuerit beneficium, suum vicarium mittere faciat, qualiter & manuopera & ceterum servitium pro eo adimplere debeat.

XI. Ut nullus iudex mansionaticos ad suum opus, nec ad suos canes, super homines nostros atque inforestos nullatenus prendat.

XII. Ut nullus iudex obsidem nostrum in villa nostra commendare faciat.

XIII. Ut equos emissarios id est vvaramones bene provideant; & nullatenus eos in uno loco diu stare permittant, ne forte per hoc pereant. Et si aliquis talis, qui bonus non sit aut veteranus sit *** si vero mortuus fuerit nobis nuntiare faciant tempore congruo, antequam tempus veniat ut inter jumenta mitti debeat.

XIV. Ut jumenta nostra bene custodiant, & poledros ad tempus segregent, & si pultrillæ multiplicatæ fuerint, separatæ fiant, & gregem per se exinde adunare faciant.

XV. Ut poledri nostri, missa Sancti martini, hiemale ad palatium omnimodis habeant.

XVI. Volumus ut quicquid nos aut regina unicuique iudici ordinaverimus, aut ministeriales nostri Sinescalcus & butticularius, de verbo nostro aut reginæ ipsis iudicibus ordinaverit, ad eorundem placitum, sicut eis institutum fuerit, impletum habeant. Et quicumque per negligentiam dimiserit, à potu se absteineat, postquam ei nuntiatum fuerit, usque dum in præsentia nostra aut reginæ veniat & à nobis licentiam quærat absolvendi. Et si iudex
in exer-

DE VILLIS.

in exercitu aut in vvaçta seu in ambasiato, vel alicubi fuerit, & junioribus ejus aliquid ordinatum fuerit & non complacuerint, tunc ipsi pedestres ad palatium veniant, & à potu & carne se absteineant: interim quidem rationes deducant, propter quod hoc dimiserunt, & tunc recipiant sententiam, aut indorso, aut quomodo nobis vel reginæ placuerit.

XVII. Quantascunque villas unusquisque in ministerio habuerit, tantos habeat deputatos homines qui apes ad nostrum opus provideant.

XVIII. Ut ad farinarias nostras pullos & aucas habeant juxta qualitatem farinariæ, vel quantum melius potuerint.

XIX. Ad scuras nostras in villis capitaneis pullos habeant non minus C. & aucas non minus xxx. Ad mansionales vero pullos habeant non minus L, aucas non minus quam xi i.

XX. Unusquisque iudex fructa semper habundanter faciat omni anno ad curtem venire: excepto **** visitationes eorum per vices tres aut quatuor seu amplius.

XXI. Vivarios in curtis nostris unusquisque iudex ubi antea fuerunt habeat, & si augeri potest augeat, & ubi antea non fuerunt & modo esse possunt, noviter fiant.

XXII. Coronas de racemis qui vineas habuerunt non minus tres aut quatuor habeant.

XXIII. In unaquaque villa nostra habeant iudices vaccaritas, porcaritas, berbicaritas, capraritas, hircaritas quantum plus potuerint: & nullatenus sine hoc esse debent. Et insuper habeant vaccas ad illorum servitium perficiendum commendatas per servos nostros; qualiter pro servitio ad dominicum opus Vaccaritiæ & carrucæ nullo modo minoratæ sint. Et habeant quando servierint ad canes dandum, boves cloppos non languidos, & vaccas

CAPITVLARE CAROLI

siue cabullos non scabiosos, aut alia pecora nō languida. Et ut diximus per hoc vaccaritas & carrucas non minorent.

XXIV. Quicquid ad discum nostrum dare debent, unusquisque iudex in sua habeat plebeio: qualiter bona & optima, atque benè studiosè & nitide omnia sint composita quicquid dederint, & unusquisque iudex habeat de annonapastos per singulos dies ad suum seruitium, ad mensam nostram quando seruerit; & reliqua dispensa similiter in omnibus bona sit, tam farina quam & peculium.

XXV. De passione autem Kal. Septemb. indicare faciant, si fuerit, annon.

XXVI. Majores vero amplius in ministerio non habeant, nisi quantum in una die circumire aut providere potuerint.

XXVII. Casæ nostræ indefinenter foca & vvacas habeant, ita ut salvæ sint. Et quando missi vel legatio ad palatium veniunt vel redeunt, nullo modo in curtes dominicas mansionaticas prendant, nisi specialiter iussio nostra aut reginæ fuerit: Et Comes de suo ministerio, vel homines illi qui antiquitus consueti fuerunt missos aut legationes soniare, ita & modo in antea & de parveridis, & omnia eis necessaria soliro more soniare faciant, qualiter bene & honorifice ad palatium venire vel redire possint.

XXVIII. Volumus ut per annos singulos intra quadragesima, dominica in palmis quæ osanna dicitur, juxta ordinationem nostram argentum de nostro laboratu, postquam cognoverimus de præsentis anno quanta sit nostra laboratio, deferre studeant.

XXIX. De clamatoribus ex hominibus nostris unusquisque iudex provideat, ut nō sit eis necesse venire & ad nos proclamare: & dies, quos servire debent, per negligentiam nō dimittat.

DE VILLIS.

et perdere. Et si habuerit servus noster forinsecus iustitias ad querendum, magister ejus cum omni intentione deceret pro ejus iustitia. Si aliquo loco minime eam accipere valuerit, tamen ipsi servo nostro pro hoc fatigare non permittat, sed magister ejus per semetipsum aut suum missum hoc nobis notum facere studeat.

XXX. Volumus unde servire debent ad opus nostrum, ex omni conlaboratu eorum seruitium segregare faciant; & unde caria in hostem carigari debent, similiter segregentur tam per domos quam & per pastores, & sciant quantum ad hoc mittunt.

XXXI. Ut hoc quod ad parveredarios vel gentias dare debent, simili modo unoquoque anno separare faciant: & tempore opportuno pleniter donent, & nobis dicere sciant, qualiter inde faciunt vel unde exit.

XXXII. Ut unusquisque iudex provideat, quomodo sementem bonam & optimam semper de comparatu vel aliunde habeat.

XXXIII. Post ista omnia segregata & seminata atque pacta, quicquid reliquum fuerit exinde de omni conlaboratu usque ad verbum nostrum salvetur: quatenus secundum iussionem nostram aut venundetur aut reseruetur.

XXXIV. Omnino providendum est cum omni diligentia ut quicquid manibus laboraverint, aut fecerint i. e. lardum, siccum, sulcia, niufaltus, vinum, acetum, moratum, vinum eoctum, garum, synapi, formaticum, butirum, bracios, cervisias, medum, mel, ceram, farinam, omnia cum summo nitore sint facta & parata.

XXXV. Volumus ut de verbecibus crassis focciat fiat, sicut & de porcis; & insuper habeant boves saginatos

CAPITVLARE CAROLI

in unaquaque villa non minus quam duos, aut ibidem ad focciandum, aut ad nos deducendum.

XXXVI. Vt silvæ vel forestes nostræ bene sint custoditæ: & ubi locus fuerit ad stirpandum stirpare faciant, & campos de silva increscere non permittant: & ubi silvæ debent esse, non eas permittant nimis capulare atque damnare. Et feramina nostra intra forestes bene custodiant. Similiter accipitres & spervarios ad nostrum profectum provideant; & censa nostra exinde diligenter exactent: & iudices si eorum porcos ad faginandum in silvam nostram miserint, vel majores nostri aut homines illorum, ipsi primi illam decimam donent ad exemplum bonum perferendum, qualiter postmodum ceteri homines illorum decimam pleniter persolvant.

XXXVII. Vt campos & culturas nostras bene componant & prata nostra ad tempus custodiant.

XXXIIX. Vt aucas pastas & pullos pastos ad opus nostrum, semper quando servire debent, aut ad nos transmittere, sufficienter habeant.

XXXIX. Volumus ut pullos & ova, quos servientes vel mansuarij reddunt, per singulos annos recipere debeant: & quando non servierint, ipsos venundare faciant.

XL. Vt unusquisque iudex per villas nostras singulares, etlehas, pavones, fasianos, enetas, columbas, perdices, turtures, pro dignitatis causâ, omnimodis semper habeant.

XLI. Vt ædificia intra curtes nostras, vel sepes in circuitu, bene sint custodita. Et stabula atque coquina, & pistrina, seu torcularia, studiosè preparata fiant: quatenus ibidem condignè ministeriales nostri officia eorum bene nitide peragere possint.

XLII. Vt

DE VILLIS.

XLII. Vt unaquæque villa intra cameram lectaria culcitas, plumatias, batlinias, drappos: ad discum, bancales; vasa ærea, plumbea, ferrea, lignea, andedos, catenas, cramaculos, delaturas, secures, id est cumadas, terebras, id est caradros, scalpros, vel omnia utensilia ibidem habeant. Itâ ut non sit necesse alicubi hoc quærere aut commodare. Et ferramenta quæ in hostem ducunt in eorum habeant plebio, qualiter bona sint, & iterum quando revertuntur in camerâ mittantur.

XLIII. Ad genitia nostra, sicut institutum est, opera ad tempus dare faciant: id est linum, lanam, vvasida, vermicula, vvaentia, pectines, laminas, cardones, saponem, unctum, vascula, & reliqua minutia quæ ibidem necessaria sunt.

XLIV. De quadragesimali duæ partes adfectam *** de leguminibus quoque; & de piscato seu formatico, butiro, melle, sinape, aceto, milio, panicio, herbulas siccas vel virides radices napos insuper & cæcoram. ma. sec. vel saponem atque cætera minutia. Et quod reliquum fuerit, nobis per brevem, sicut supra diximus, innotescant, & nullatenus hoc permittat, sicut usque nunc fecerunt; quia per illas duas partes volumus cognoscere de illa tertia quæ remansit.

XLV. Vt unusquisque iudex in suo ministerio bonos habeat artifices; id est fabros ferrarios, & aurifices, vel argentarios, sutores, tornatores, carpentarios, scutatores, precatores, accipitares, id est aucellatores, saponarios, siceratores, id est qui cervisiam vel pomatium sive piratium vel aliud quodcunque liquamen ad bibendum aptum fuerit, facere sciant, pistores qui similas ad opus nostrum faciant, retiatores qui retia facere bene sciant tam advenandum

CAPITVLARE CAROLI

dum, nec non & reliquos ministeriales quos ad numerandum longum est.

XLVI. Vt lucos nostros, quos vulgus brogilos vocat, & ad tempus semper emendent & nullatenus expectent ut necesse sit à novo reaedificare. Similiter faciant & de omni ædificio.

XLVII. Vt venatores nostri, & falconarij, vel reliqui ministeriales, qui nobis in palatio assidue deserviunt, consilium in villis nostris habeant, secundum quod nos aut regina per literas iusserimus, quando ad aliquam utilitatem eos miserimus, aut Siniscalcus & buticularius de nostro verbo eis aliquid facere præceperint.

XLVIII. Vt torcularia in villis nostris bene sint præparata; & hoc prævideant iudices ut vindemia nostra nullus pedibus premere præsumat, sed omnia nitida & honesta sint.

XLIX. Vt genitia nostra bene sint ordinata, id est de casis, pistis, tuguriis: id est sereones & sepes bonas in circuitu habeant, & portas firmas, qualiter opera nostra bene peragere valeant.

L. Vt unusquisque iudex provideat, quanti poledri in uno stabulo stare debeant, & quanti poledrarij cum ipsis esse possint. Et ipsi poledrarij qui liberi sunt & in ipso ministerio beneficia habuerint, de illorum vivant beneficijs: similiter & fiscalini qui mansos habuerint inde vivant: & qui hoc non habuerint de dominica accipiat provendam.

LI. Provideat unusquisque iudex ut sementia nostra nullatenus pravi homines subrus terram vel alicubi abscondere possint, & propter hoc messis rarior fiat. Similiter & de alijs maleficijs illos provideant, ne aliquando facere possint.

LII. Volu-

DE VILLIS.

LII. Volumus ut de fiscalibus, vel servis nostris, sive ingenuis qui per fiscos aut villas nostras commanent, diversis hominibus plenam & integram qualem habuerint reddere faciant iustitiam.

LIII. Vt unusquisque iudex provideat, qualiter homines nostri de eorum ministerio latrones vel malefici nullo modo esse possint.

LIV. Vt unusquisque iudex provideat, quatenus familia nostra ad eorum opus bene laboreat, & per mercata vacando non eat.

LV. Volumus ut quicquid ad nostrum opus iudices dederint, vel servierint, aut sequestraverint, in uno brevi conscribi faciant; & quicquid dispensaverint in alio: & quod reliquum fuerit nobis per brevem innotescant.

LVI. Vt unusquisque iudex in eorum ministerio frequentius audientias teneat, & iustitiam faciat, & provideat qualiter rectè familia nostra vivant.

LVII. Si aliquis ex servis nostris super magistrum suum nobis de causa nostra aliquid vellet dicere, vias ei ad nos veniendi non contradicat. Et si iudex cognoverit, quod iuniores illius adversus eum ad palatium proclamando venire velint, tunc ipse iudex contra eos rationes deducendi ad palatium venire faciat, qualiter illorum proclamatio in auribus nostris fastidium non generet. Et sic volumus cognoscere utrum ex necessitate an ex occasione veniant.

LVIII. Quando catelli nostri iudicibus commendati fuerint, de suo eos nutrant; aut junioribus suis, id est, maioribus & decanis vel cellarijs, ipsos commendare faciunt, quatenus de illorum causa eos bene nutrire faciant. Nisi forte iussio nostra aut reginae fuerit, ut in villam no-

K

stram

CAPITVLARE CAROLI

fram ex nostro eos nutriant. Et tunc ipse iudex hominem ad hoc opus mittat qui ipsos bene nutriat, & segreget unde nutriantur, & non sit illi homini cotidie necessitas ad securas recurrere.

LIX. Unusquisque iudex quando seruerit, per singulos dies dare faciat de cera lib. III, de sapone sextaria VIII, & super hoc ad festiuitatem sancti Andreae, ubicunq; cum familia nostra fuerimus, dare studeat de cera lib. VI, similiter mediante quadragesima.

LX. Nequaquam de potentioribus hominibus maiores fiant, sed de mediocribus qui fideles sunt.

LXI. Vt unusquisque iudex quando seruerit suos bracios ad palatium ducere faciat, & simul veniant magistri qui cervisiam bonam ibidem facere debeant.

LXII. Vt unusquisque iudex per singulos annos ex omni conloratione nostra, quid de bobus quos bubulci nostri seruant, quid de mansis qui arari debent, quid de fogalibus, quid de censis, quid de feda fracta vel freda, quid de fertaminibus in forestis nostris permisso captis, quid de diversis compositionibus, quid de molinis, quid de forestibus, quid de campis, quid de pontibus, vel naviibus, quid de liberis hominibus & centenis qui partibus fisci nostri deseruiunt, quid de mercatis, quid de vineis, quid de illis qui vinum solvunt, quid de feno, quid de lignarijs & faculis, quid de axilis & alio materiamine, quid de pterarijs, quid de leguminibus, quid de milio & panico, quid de lana lino & canava, quid de frugibus arborum, quid de nucibus maioribus vel minoribus, quid de insitis ex diversis arboribus, quid de hortis, quid de apibus, quid de rivarijs, quid de corijs, quid de pellibus, quid de carnibus, quid de melle & cera, quid de uncto vel sapone,

DE VILLIS.

pone, quid de morato, vino cocto, medo, & acero, quid de cervisia, de vino novo & vetere, de annona nova & vetere, quid de pullis & ovis vel anseribus i. e. aucis, quid de piscatoribus, de fabris, de scurarijs vel sutoribus, quid de buticis & cofinis i. e. scrinijs, quid de tornatoribus & fellarijs, de ferrarijs & scrobis i. e. fossis ferraricijs, vel alijs fossis plumbaricijs, quid de tributarijs, quid de poledris & putrellis habuerint. Omnia seposita, distincta & ordinata; ad nativitate[m] domini nobis notum faciant, ut scire valeamus quid vel quantum de singulis rebus habeamus.

LXIII. De his omnibus supra dictis nequaquam iudicibus nostris asperum videatur, si hoc requirimus; quia volumus ut & ipsi simili modo a junioribus illorum omnia absq; ulla indignatione requirere studeant. Et omnia quicquid homo in domo sua & in villis suis habere debet, iudices nostri in villis nostris habere debent.

LXIV. Vt carra nostra quae in hostem pergunt & balsternae benefactae sint; & opercula bene sint cum corijs cooperta, & ita sint consuta ut si necessitas evenerit ad aquas ad natandum, cum ipsa expensa quae intus fuerit, transire flumina possint, ut nequaquam aqua intus intrare valeat, & bene salva causa nostra, sicut diximus, transire possit. Et hoc volumus, ut farina in unoquoque carro ad spensam nostram missa fiat: hoc est duodecim modia de farina, & in quibus vinum ducunt modia XII. ad nostrum modium mittant. Et ad unumquodq; carrum scirtum, & lanceam, cucurum & arcum habeant.

LXV. Vt pisces de vivarijs nostris venundentur & alij mittantur in locum; ita ut pisces semper habeantur tamen. Quando nos in villas non venimus, tunc fiant venundari &

GAPITVLARE CAROLI

hari, & ipsos ad nostrum profectum iudices nostri conlu-
crari faciant.

LXVI. De capris & hircis, & eorum cornibus &
pellibus, nobis rationes deducant & per singulos annos
niufaltos crassos nobis inde adducant.

LXVII. Demansis, absis, & mancipijs adquisitis si
habuerint, si non habeant ubi eos collocare possint nobis
renunciare faciant.

LXVIII. Volumus ut bonos barridos ferro ligatos
quos in hostem & ad palatium mittere possint, iudices sin-
guli pręparatos semper habeant, & utres ex corijs non fa-
ciant.

LXIX. De lupis omni tempore nobis annuntient,
quantos unusquisque comprehenderit, & ipsas pelles no-
bis pręsentare faciant: & in mense Majo illos lupellos per-
quirant & comprehendant tam cum pulvere & hainis,
quam cum fossis & canibus.

LXX. Volumus quod in horto omnes herbas ha-
beant; id est:

Lilium,	Rosmarinum,	Cit	Intubas
Rosas,	Carvum,	Erucam albam,	Diptamnum,
Fenigræcum,	Cicerum Italicum,	Nasturtium,	Sinapi
Costum,	Squillam	Bardanam	Satureciam
Salviam,	Gladiolum	Pulegium,	Sisimbrium
Rutam,	Dragontea	Olisatum	Mentam
Abrozanum,	Anisum	Petroscelinum	Mentastrum
Cucumeres,	Coloquintidas,	Apium	Tanaritam
Pepones,	Solsequium	Lewisiticum	Nepetam
Cucurbitas,	Ameum	Sabinam	Febrifugiam
Faseolum,	Silum,	Anetum	Papaver
Camium,	Lactuca,	Fanicalum	Betæ

Vulgigina

DE VILLIS.

Vulgigina	Allia	Pomarios di-	Lauros,
Bisnabvas i.e.	Vvacentiam	versi generis	Pinos,
alteas	Cardones	Prunarios di-	Ficus,
Malvas	Fabas maiores	versos,	Nucarios,
Carrucas	Pisa maurisca	Sorbarios,	Ceresarios.
Pastinacas	Coriandrum	Mespilarios,	Diversi ge-
Adripias	Cerefolium	Pirarios di-	neris
Blitum	Lacteridas	versos,	Malorum
Ravacaulos,	Sclareciam.	Castanearios,	nomina:
Caulos	Et ille hortula-	Persicarios	Gormaringa,
Vniones	nus habeat sub	diversi ge-	Geroldinga,
Britlas,	domum suam	neris,	Crevedella,
Porros	Iovis barbam.	Cotoniarios	Spirauca
Radices	De arboribus	Avellanarios,	Dulcia,
Afcalonica	volumus quod	Amandalarios,	&c.
Cepas	habeat:	Morarios,	

Explicit Capitulare dominicum.

HERMAN. CONRINGIUS

Lectori S. P.

circu economico
cur edidit.
A Beditione Capitularis illius absterruit me multum, fateor, & vilitas argumenti, utpote quod totum sit oeconomicum, & barbara dictio, & librarij ruditas. Oneratus nimirum jam tum est mundus librorum inutilium multitudine, ut proinde haud videatur ex re esse si addas quæ nulli aut exiguo sunt usui vel reipublicæ vel Ecclesiæ. Ut ederem tamen permovit me reverentia & gratitudo quam Carolo Magno & Francorum veteri reipublicæ debemus. Plurimum autem illis à nobis hodieque deberi nemo nescit, nisi qui itidem ignorat, illorum auspicijs & felici labore in unum illud reipublicæ corpus Germaniam coisse, cujus reliquijs etiamnum fruimur, simulque per illorum pietatem religionem Christianam a libi apud nos coepisse, alibi multum auctam. Quibus beneficijs majus nihil finxeris. Accessit quod existimem, illo exemplo tam magni Principis, qui cum nemo Germanici sanguinis alius meretur fortè comparari, siue animi dotes videas siue incredibilem felicitatem & potentiam, nostros saltim Principes posse fortassis adduci, ne indignum cura suâ habeant rem familiarem, quod (proh dolor!) nimum multis hodie, magno publicæ privatæq; rei incommodo, est persuasum. Invitavit me porrò ipsum manuscriptum, quod illud annexum esset Leonis epistolis: tanquam alterum sine altero nec edi debuerit. Edita vero à nobis omnia sunt ut dederunt membranæ: eoq; menda non tam ab ævi quàm scriptoris culpâ indubie complura adsunt, quod unico instructis exemplo nec licuerit facilè illa tollere nec libuerit. Dictione intellexeris haud difficulter, si non pigebit admove- vere glossaria Latinobarbara, cum illa quæ laudavimus, tum

tum alia vetera hætenus non publicata. Ut ego inde vocularum interpretationem hic exhibeam non possum adduci: quod temporis mihi diligens habenda sit ratio, nec vacet adeo vilibus & rædiosis vel horulam impendere. Caterum ab ipso Carolo M. esse hoc Capitulare, ut quod res est fatear, non nisi per conjecturam novimus, cum manuscriptum nihil aliud dicat quàm agi illo Capitulari de villis Imperatoris. Ut autem ita crederemus effecit virtus, prudentia & industria Caroli, quibus ille præ alijs illius familiæ plurimum enituit. Neq; enim in scriptis ævi Carolini versatos potest latere omninò à Francicæ familiæ Imperatorum aliquo esse hoc Capitulare: nemini autem illorum eas ingenij dotes tribuunt historiæ, ut animum ad rem quoque domesticam rectè ordinandam appulerit, præterquam uni Carolo, ferendarum legum studiosissimo. Confirmavit sententiam haud parum illud, quod omnia quæ in annexis membranis continentur ad unum Carolum itidem pertineant. Ut enim de epistolis Leonis nihil dicam, habentur ibi particule nonnullæ illius breviarij quo opes omnes regnorum suorum in reipublicæ usum jusserat Carolus consignari. Quod si quis nihilominus, existimaverit non Caroli sed alterius alicujus Imperatoris esse hoc monumentum cum eo nolo contendere. Cujuscunque enim fuerit, mihi satis est si veteri aliquo & illustri exemplo possim Principes nostros ad oeconomica rei studium permovere. Sane si & Breviarium illud non ita esset mutilum eidem fini etiam ipsum publicassem. Interest enim quàm maximè, ut hodie etiam isthac in re Carolum imitentur quotquot reipublicæ usibus student. Non ille quidem unus fuit autor tam salubris instituti. Nam & jam olim Augustus Cæsar reliquit *breviarium totius Imperij*, teste Suetonio. Dio l. 56: *Ab Augusti morte promulgata sunt*

lata sunt quatuor ipsius volumina, quorum tertium complectebatur
qua ad milites quaque ad reditus sumptusq. publicos pertinebant,
item quanta pecunia summa in fisco esset, & quacunque eiusmodi
ad Imperium spectabant. Etiam post Carolum idem in An-
glia egit Guilielmus Normannus, is qui ab regno illo sub-
acto nomen Conquestoris invenit. Totam enim terram
(verba sunt Ingulphi Abbatis) descripsit, nec erat hyda in to-
tâ Angliâ quin valorem eius & possessorem sciret, nec lucus nec
locus aliquis quin in regis rotulo extitit descriptus, ac eius redditus
& proventus, ipsa possessio & eius possessor regia notitia manife-
stus iuxta taxatorum fidem, qui electi de qualibet patriâ terri-
torium proprium describebant. Iste rotulus vocatus est Rotulus
Wintonia, & ab Anglis pro suâ generalitate, quod omnia tene-
mentatotius terra integrè contineat, Domesday cognominatur.
Sed de ipsiusmet Caroli illo instituto præstat audire pru-
dentissimum Germanicarum rerum scriptorem Ioannem
Aventinum l. 4: Carolus Magnus non solum prædia stipendia-
ria, agros, prata, vineas, villas, molas, laterarias, calcarias & hu-
jusmodi redditus vectigaliaque: item iumenta, pecudes, manci-
pia, verum & propriam suppellectilem præfectorum, præsidum,
pontificum, fœminarum sacrarum & virorum descriptam habuit.
Iuxta multitudinem iugerum, agrorum, opum, certus numerus
militum auri, argenti, iumentorum, boum, pecudum, rhedarum,
vehiculorum, annonæ, vestimentorum, paludamentorum, armo-
rum, cataphractarum, galearum, gladiatorum, scutorum, hasta-
rum, arcuum, sagittarum, pharetrarum, item ferramentorum
(qua sunt pala, bidentes, ligones, rastra, cophini, dolabra, secures,
ascia, ferræ) inductus & definitus est. Hæc Aventinus. Qui mox
nonnulla subjungit quibus nostri mores acriter perstrin-
guntur. Fortassis autem licet etiam illa hîc repetere, quum
occasio isthuc nos ducat. At nunc misera est conditio Imperan-
tium, qui expertes omnium vectigalium, univ[er]sor[um] exortes
tributo

Aventinus.

et magis i. q. ad p. m.
hinc pas. & p. p. p.
mo elegi. sua p.
comp. p.

quod dicitur mo

tributorum sunt. Cunctis opibus Imperij, prædijsq. regijs, Episcopi,
Duces, Tetrarcha, Dynasta incubant. Hi ubi iniuria à quopiam
adfecti fuerint, continuo officium Caesaris, etiam illius periculo,
implorant: ipsi interim nec reipub. nec Imperatori, etiamsi hisce
procella ingruerit, quicquam penitus nisi grandi pecunia redempti
præstant. Eodem pacto cum Ducibus fit & agitur. Comites eorum,
equites, monachi, mystæ, quavis beneficia populi & regularum
occupant: ipsi tamen huiusmodi munia à se in Principem & egenos
agricolas & ciues (quibus nihil emolumenti, ne obulus quidem,
è fisco arariove accedit) relegant. Equites, quibus fiscus &
araria seruiunt, nisi auro oppignorati, non parent. Ita regna, re-
giones, urbes, pagi, oppida, Principes, ceteri omnes ad egestatem
rediguntur: paucorum potentia diuitiaque in immensum subito
crescunt. Hisce moribus complura, quæ maiores sanguine suo &
multo sudore peperere, perdidimus: haud dubie & reliqua quæ adhuc
possidere videmur, nisi respiciamus, amissuri. Nullus delectus
tyronum est, nulla præmia veteranorum. Ultrò militiam, non sa-
cramento rogati religioneq. adacti, leuissimus quisque ac strenuus
potator sectari solet: nec de conditione moribusve aliqua questio.
Verum hæc alibi commodius fortassis leguntur atque ex-
penduntur. Neque vero illa nunc agere hic locus pati-
tur: utpote quum non nisi Carolini illius instituti repeti
heic memoria debuerit, & quidem tantum in id, ut nostro
Capitulari auctoritas sua confirmetur. Quod, nisi fallor,
abunde factum est.

Antea tamen quam ab hoc libello manū femoveamus,
non abs re fortè fuerit addere nonnihil ad Leonis epistolas
pertinens, quod forte fortuna nunc observamus. Recitat
nimirum Gratianus p. 2. Decretic. 2. q. 7. §. 41. partem quan-
dam epistolæ ad Ludovicum Imperatorem, sed quam in-
scriptio, etiam illa quæ in emendatis codicibus auctoritate
L Grego.

Gregorij xi r editis reperitur, Leoni iv Papæ acceptam refert. Videtur autem omnino non quarti sed tertij Leonis nostri esse & quidem anno dcccxy exarata, cum graviter Leo apud Ludovicum Pium esset accusatus. Etenim Leone iv sedente summa Imperij penes Lotharium Cæsarem fuit non Ludovicum. Utque Platina memoret hunc etiam apud Lotharium accusatum, antiqui tamen scriptores, ut Anastasius aut Luitprandus, id haud memorant: & tamen ab Anastasio non est silentio præterita acris illa in Gravianum, militia Romanæ magistrū perduellionis reum, per ipsum Ludovicum Lotharij filium Romæ instituta inquisitio. Cujuscunq; autem sint Leonis, fortè haud abs re fuerit verbis illis claudere hunc libellum: præsertim quū illa doceant eodem cultu Ludovicum Cæsare à Leone esse affectum quo honoratus fuit pater Carolus, Etenim ex humilitatis dispensatione quadam factum hoc esse, quod nuperi Annotatores caussantur, ab ærugine est Hildebrandina. Præstat Leonem ipsum audire: *Nos si incompetenter aliquid egimus & subditis iustæ legis tramitem non conservavimus, vestra ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio. Quoniam si nos qui aliena debemus corrigere peccata peiora committimus, certè non veritatis discipuli, sed (quod nolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus, ut tales ad hæc quæ diximus inquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodum si vestra præsens fuisset Imperialis gloria) diligenter exquirant. Et non tantum hæc sola quæ superius dixim⁹, quarimus ut examusim exagrent; sed sine morâ, siue etiam maiora illis sint de nobis indicata negocia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus impostherum nihil sit quod ab iis indiscussum vel indefinitum remaneat.*

EMENDANDA.

B. 2. f. a. l. 14. adde titulum: *Gratiarum actionis.* D. 3. f. a. l. 3. dele: P. 1. D. 4. f. 2. l. 5. lege: *à pontifice more ant.* H. 3. f. 1. l. 17. lege: *Cave enim credas, ea tant.* Ibid. l. 19. lege: *affectasse Papas.* Reliqua minoris sunt momenti, nec turbabunt temere lectorem eruditum.

RECORDS

1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800
1801
1802
1803
1804
1805
1806
1807
1808
1809
1810
1811
1812
1813
1814
1815
1816
1817
1818
1819
1820
1821
1822
1823
1824
1825
1826
1827
1828
1829
1830
1831
1832
1833
1834
1835
1836
1837
1838
1839
1840
1841
1842
1843
1844
1845
1846
1847
1848
1849
1850
1851
1852
1853
1854
1855
1856
1857
1858
1859
1860
1861
1862
1863
1864
1865
1866
1867
1868
1869
1870
1871
1872
1873
1874
1875
1876
1877
1878
1879
1880
1881
1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT

1000, **DOM**
KSIĄZKI
DOM

E 529837
XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

